B. N. C.
FIRENZE
1158
15

1138 . 15

1158-15

296

A I

FRANCISCI SERDONATI
FLORENTINI

ORATIONES DVAE

HABITAE RHACVSII, ALTERA in funere Chryſoſtomi Caluini Archiepiſcopi Rhacuſini,

ALTERA IN ADVENTV Vincentij Portici noui Archiepiſcopi in æde Diuæ Mariæ.

SVPERIORVM PERMISSV.



1877

CAMERINI,
Apud Hæredes Antonij Gioioſi, & Hieronymum
Stringarium Soc. CIↃ IↃ LXXVIII.

451.15

AD ILLVSTRISS. SENATVM RHACVSINVM FRANCISCI SERDONATI IN SVAS ORATIONES PRAEFATIO.

PYTHAGORAS ILLE SAMIVS, qui primus philoſophiæ nomen inuenit, nihil neq; præclarius, neq; præſtantius, aut optabilius mortalibus à Deo tributum dicebat, quàm ueritatem colere, & beneficia in alios conferre: hæc enim duo cum Dei operibus penè comparari poſſe cenſebat. Meritò ſanè. Duabus enim his rebus uidetur quicquid ad uitam, & mores noſtros ornandos longis commentarijs ab alijs præcipitur, contineri: itaq; ſi homines hanc eius ſententiam & auctoritatem probarent, & ſequerentur, multò ſanè melius, & conſtantius ſe noſtræ res haberent, humanaq; ſocietas multò firmius ſtaret. Nam ſi homines ueritatem, quæ quidem aut eſt diuinum quiddam, aut rerum diuinarum ualde ſimile, amplecterentur, eamq; in maximo honore haberent, & beneficijs, quo nihil apud homines pulchrius, nihil honorificentius, nihil laudabilius fieri poteſt, inter ſe certarent, omnes ferè moleſtiæ, quæ humanæ ſocietati officiunt, tollerentur nullæ lites exiſterent, nullæ diſcordiæ exorirentur, nullæ iniuriæ fierent, nullum bellum eſſet: ſed contra ſumma pax, ſumma tranquillitas noſtras res perpetuò comitaretur: itaq; in terris degentes uitam ferè cœleſtē, ac diuinā uiueremus. Sed hæc facilius optare, quàm ſperare poſſumus. Verum ex ijs, ampliſſimi patres, perſpicitur diuinos planè eſſe, & ambroſia, ut ille dicebat, alendos eos, qui hæc quantū in ſe eſt, præſtant, & perficiunt. Quare patet plena etiam manu laudandos illos, qui bene merenti gratiam ſi non meritis parem, quandoquidem ſæpius aut occaſio non fert, aut uires nos deficiunt, et magnitudo officij omnem facultatem aufert, at quam poſſunt referunt, & niſi factis recepta officia perſoluunt, uerbis ſaltem ipſa illuſtrant, & eorum

*auctorem laudibus ornant. Hoc enim quoque non paruam affert hominibus
utilitatem: nam & gratos oſtendit eos, qui ea præſtant, quo nihil fieri poteſt a-
mabilius, & alios ad beneficia conferenda, & benè locanda mirificè impellit;
nemo enim eſt, in quo modo igniculus quidam honeſtatis uigeat, quin dulce-
dine laudis, & gloriæ illectus, ad bene de hominibus merendum incitetur, cum
uidet alios ob id ſummis laudibus ad cœlum tolli. Quæ omnia Romani illi ue-
teres laudandarum omnium rerum, & conſuetudinum, quæ ad nobilitatem,
& præſtantiam animorum illuſtrandam pertinent, auctores diligenter ani-
maduertentes, ut omnes ad uirtutem, & ueram, ſolidamq; gloriam inuitarent,
ſummos uiros, qui præclari aliquid geſſiſſent, non ſolum uiuos, uidentesq; &
amplis præmijs affecerunt, & magnis honoribus ornarunt: ſed mortuos etiam
tum alijs rebus honeſtarunt, tum etiam in funere laudari uoluerunt, & nihil,
quod ad eos decorandos attineret, prætermiſerunt. Quæ quidem omnia quan
tum illi Reipublicæ & uniuerſo imperio publicè, & priuatim profuerint nihil
attinet diſputare. Præclarè igitur maiores ueſtri, uiri ſapientiſſimi, fecerunt,
qui tum alia multa Romanorum, à quibus originem ducebant, (fuit enim Epi-
daurus antiqua ueſtra patria, ut omnibus notum eſt, Romanorum colonia) in-
ſtituta ſeruarunt (apparent enim in hac ueſtra Ciuitate non pauca conſuetu-
dinum Romanorum ueſtigia) tum hoc mordicus retinuerunt: nam & ad benè
de alijs merendum, & ad referendam gratiam ijs, qui ſibi profuiſſent, ſemper
alacres extiterunt, & memoriam eorum, à quibus aliquid beneficij accepiſſent
piè, inuiolateq; ſemper ſeruandam cenſuerunt, eoſq; & uiuos, & mortuos ma-
ximè ornarunt. Itaq; non mirum eſt ſi hanc remp. per tot ſæcula ita guberna-
runt, ut eam non ſolum ſeruarent, & incolumem uobis per manus traderent,
ſed eiuſmodi etiam inſtitutis, & legibus temperarent, ut iam per mille, aut eò
amplius annos, ita ſteterit, ut nulla unquam ſeditione, quod rarum admodum,
aut potius ſingulare eſt, laborarit: & uos, ampliſſimi patres, qui hæreditario
quodam iure hæc omnia poſſidetis, maiorum ueſtrorum omni decore affluen-
tium ueſtigijs ita inſiſtitis non ut ab ipſis quicquam ad uos ornandos hauriatis,
ſed potius, ut in uobis ſit, quod ad illos redundet. Et ad beneficia in dignos ho-
mines conferenda maximè propenſi ſemper fuiſtis, cuius rei, ne longius abeam,
locupletiſsimi teſtes extant non pauci uiri principes, & nobilitate, ac uirtute
inſignes, qui præterito bello, quod inter Turcas, & Chriſtianos fœdere iunctos,
mari, terraq; geſtum eſt, ueſtram benignitatem experti ſunt; præterquàm
quòd ea beneficentiæ exempla intenues multos uiros, & fortunæ iniquitate op
preſſos edidiſtis, ut multi admirati ſint ueſtram & in pecunijs erogandis libe-
ralitatem, in periculis ſubeundis fortitudinem & conſtantiam, & in afflictis
ſubleuandis pietatem: nemo.n. ferè huc appulit, quin à uobis aut conſilio, aut
opera, aut etiam re adiutus ſit, & ſi quid unquam in uos officij collatum eſt, il-
lud non ſolum in memoria ſemper habetis, & quæcunque facultas eius com-
penſandi datur, eam libentiſsimè arripitis, ſed etiam alacriter prædicatis, &
ſummis laudibus extollitis, & bene merenti non gratiam ſolum, ſed præcipuã*

etiam laudẽ uos debere profitemini. Hinc eſt quòd cum ſuperioribus menſibus Chryſoſtomus Caluinus ueſtræ huius Ciuitatis Archiepiſcopus uir omni liberali doctrina politiſſimus, & ſumma probitate, ac morum elegantia præditus mortuus eſſet, ut à quo uiuo in uarijs negocijs, ac diuerſis temporibus commoda multa acceperatis, cuiq; perpetuò gratiã habituri eſtis, ei mortuo etiam aliquod grati animi ſignum oſtenderetur, mihi, ut eum in funere laudarem, mandaſtis. Itidem paucis poſt menſibus cum Gregorius XIII. Pontifex Maximus in Chryſoſtomi locum Vincentium Porticum Lucenſem uirum, & in iuris ciuilis ſcientia clariſſimum, & in omni genere litterarum eruditiſſimum, probitate inſignem, & rebus agendis ualde probatum, & uſu magno reipublicæ Chriſtianæ, in qua adminiſtranda per multos annos in uarijs negocijs, diuerſis in locis, & apud uarias, & maximè remotas gentes ſumma cum laude uerſatus eſt, ſpectatiſſimũ, & omni honore digniſſimum, Archiepiſcopum creaſſet, uoſq;, utpote qui animo iam prouideretis fructus, quos ex illius probitate, ac diligentia ueſtri homines capturi eſſent (nam ſimilitudine rerum præteritarum futuras facile coniectare ſolemus) ex ea re maximam uoluptatem percepiſſetis, cum primum is ad uos acceſſit, uoluiſtis, ut publicè quantum per me fieri poſſet, quid letitiæ ex illius aduentu à uobis, ac ueſtris omnibus caperetur, declararem. Quæ quidem omnia eorum, quæ ſupra diximus, certiſſima ſunt teſtimonia, uos ſcilicet et ueritatis amatores maximos eſſe, & beneficijs libenter operã dare, & bene merentibus alacriter gratiam referre. Quare cum eas orationes ſcripſiſſem, eaq́; à multis pro amplitudine illorum, quorum iuſſu & in quorum laudẽ habitæ ſunt, flagitarentur, neq; diutius eas negare poſſem, decreui auctoritate illorum adductus ipſas in apertum referre, & quaſi in publicum proponere, & ut ſanctiſſimorum præſulum ueræ laudes ab omnibus conſpici poſſent, & ueſtræ etiam, quæ cum ipſis coniunctæ aliquo pacto ſunt, omnibus notæ fierent, periculum exiſtimationis meæ, in quod incidere facile poſſum neglexi: uideo enim a me nihil niſi inchoatum: & rude exire poſſe, in huiuſmodi uerò rebus nihil niſi elaboratum ingenio, & perfectum induſtria requiri. Sed in magnis, ut illæ inquit, uoluiſſe ſat eſt: ſepæ enim fit, ut uires cupiditati non æquentur. Verum hoc periculum uidebam alio bono compenſari, quod dum efficio, ut in ueſtro nomine opuſculum hoc appareat; uidebar mihi interim aliquid gratiæ uobis pro maximis in me collatis officijs perſoluére, & meritorum memorem præſtare, quod omni cura, atq; induſtria ſemper efficiam. Accipite igitur, patres ampliſſimi, munuſculum hoc meæ in uos uoluntatis, & ſtudij argumentum exiguum illud quidem; ſed ueſtræ benignitatis, altitudiniſq; animi eſt, animum, non rem ſpectare, neq; eam ſua magnitudine metiri, ſed potius quibus de cauſis, & à quo homine detur animaduertere, efficereq́;, ut muneris tenuitatem humanitatis ueſtræ magnitudo ſubleuet. Valete & diu felices uiuite.

ORATIO

FRANCISCI SERDONATI FLORENTINI

HABITA RHACVSII IN FVNERE Chryſoſtomi Caluini Gemilianenſis Archiepiſcopi Rhacuſini in æde Diuæ Mariæ XV. Kal. Martij CIↃ IↃ LXXV.

GRAVE ſanè onus, & viribus meis omnino maius hodierno die mihi impoſitum eſſe intelligo, cum in hoc celeberrimo tot prꝗſulum, & principum virorum conuentu laudandus mihi ſit Chryſoſtomus Caluinus Rhacuſinus Archiepiſcopus vir ſummis ingenij dotibus prꝗditus, & maximorum operum, glorięq́; inſignis auctor, in quo omnia bona, & omnes virtutes, quæ in Antiſtite omnibus laudibus cumulato expeti poſſunt, abundè extiterunt, quique moriens ciuibus magnum ſui deſiderium reliquit, bonos omnes, & prudentes maximo luctu affecit, religioſis viris, ac ſacerdotibus ingentem ęgritudinem importauit, & principibus deniq; reip. qui & propius, & melius Ciuitatis damnum cognoſcunt, & iacturam, quam fecerunt, conſiderant, immenſum dolorem attulit: is enim viuẽs publicè, & priuatim commoda multa vniuerſo Rhacuſinorum imperio dedit, ac ſingillatim cuiq; profuit, & deniq; omni Chriſtianę reip. vtilis fuit: cuius ſimiles in omni ætate paucos inuenias, quiq; dignus ſit, quem omnes, qui piè viuere volunt in Chriſto ſibi imitandum in huius vitæ peregrinatione proponant. Quare cum mihi conandum ſit non dicam illuſtrare (neq; enim id præſtare poſſent ingenij mei vires) ſed tantum adumbrare innumeras eius virtutes, conſentaneasq́; illis actiones, numerus certè, & magnitudo rerũ ab eo geſtarum me deterret, & laudũ eius ſplendor

dor aciem mentis meę ita perſtringit, vt neq; exitum, neq; principium orationis inuenire poſſim. Huc accedit, quòd apud eos verba ſum facturus, qui quia viderunt, & cognouerunt eius virtutes, non probabunt ullo pacto ſi quam earum aut obliuiſcar, aut tacebo. Non tamen ob id onus mihi impoſitum deponam, ſed quomodocunq; potero, feram, & hoc animo verba faciam, non vt quicquam noui eruditisſimis veſtris auribus afferam, cum hæc omnia vobis notisſima ſint, ſed vt hęc Ciuitas, quæ huic viro chariſſima fuit, & ingenijs excellentibus, quale Chryſoſtomi fuit, ſemper fauit hoc exequiarum genere ſe memorem, gratamq; aduerſus tanti viri merita prębeat. Quamuis in hac laudatione, ſi verum fateri volumus, Illuſtrisſime Princeps, Vigilantisſimi Antiſtites, prudentisſimi ſenatores, & vos omnes nobilisſimi auditores, à Deo Opt. Max. ſummis pręcibus poſtulandus eſſet ille ſpiritus, quo afflatus Chryſoſtomus Caluinus à prima vſq; ad ingraueſcentem ętatem ea geſſit, quæ poſteri intelligentes potius admirari, quàm imitari poſſent. Quid enim nos, vt homines loqui poſſumus de pijs hominibus, qui dum uixerunt, ita cęteris non humana, ſed diuina prudentia, ſanctitate, ac dignitate præſtiterunt, vt apertisſimè teſtati ſint, ſe in eorum numero reponendos eſſe, de quibus ſcriptum accepimus: Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Quod huic noſtro paſtori ſine vlla dubitatione contigiſſe fatendum eſt, idq; dum vobis oſtendere conor, quæſo, obteſtorq; vt me, ſicut facitis, benignè, attenteq; audiatis. Nihil apud homines reperitur, quod meritò laudari posſit, aut debeat pręter ea, quę bona vocãtur: ea verò à ſapientisſimis hominibus in tria genera diuiſa ſunt, animi, corporis, & externa, ita tamen, vt ſola virtus, in qua vna bona animi poſita ſunt, per ſe & ſui cauſa laudetur: in alijs verò tunc homines celebrentur, cum aut bonis artibus ea pararunt, aut deinde ritè, & ſapienter ipſis vſi ſunt. Sed nos hoc tempore in ijs non immorabimur; nam & breuitati ſtudemus, & à iudicio illius, quem laudandum ſuſcepimus, quemq; bonis omnibus imitandum cenſemus, diſcedere nolumus: is enim ſemper corporis & externa bona tanquam imbecilla, caduca, & cõmutabilia pro nihilo putauit: de virtute autem tam elatè, tamq; altè locutus eſt, & tantam vim eius eſſe duxit, tãtumq; eam cæteris propendere exiſtimauit, vt crebrò Critolai libram celebraret, ac plena manu hominis iudicium laudaret, aſſerẽs fore, vt ſi omnia corporis, & externa bona in alteram lancem imponerentur, ne apparerent quidẽ, animi vero bona, ideſt virtus in altera lance collocata terram, ac maria deprimerent. Itaq; is quamuis in patria nobilisſima Gemiliano Calabriæ oppido (qua prouincia nullam ferè in vniuerſa Italia neq; temperatio-

ri cœlo, neq; fertiliori ſolo, & frugum, ac fructuum omnis generis feraciori,& paſtionis magnitudine vtiliori, neq; vrbium, & oppidorum multitudine magis affluentem eſſe conſtat) loco etiam honeſto natus eſſet, & res ei familiaris ſatis ampla eſſet, tamen cum diuina liberalitate maiora quędam, & altiora ſpectaret, neq; patriæ, neq; parentum ſplendoris, aut fortunarum rationem duxit, verum abiectis omnibus impedimentis, quæ Dei filios ad Chriſtum animo properantes in medio curſu remorari ſolent, à pueritia ad ea animũ appulit,& eas artes percepit, quæ illum perfectum reddere,& ad ſummam,& veram gloriam perducere poſſent. Deinde religionis deſiderio,ac ſolitudinis ſtudio ductus ex hominum frequentia ſe tollere,& humanis rebus ſalutem dicere voluit,à quo ſanctisſimo conſilio parentes intemperata quadam beneuolentia reuocare ipſum conati ſunt, & per aliquod tẽpus eius ſtudium retardarunt, ſed tandem impedire illum, quin quò Deus Optimus Maximus duceret,ac natura impelleret,pergeret, non potuerunt: itaq; Caſinenſe cœnobium adijt,& in Diui Benedicti ſacram familiam ſe contulit, vt ſub eius perfectisſima euangelica diſciplina tranquilliori animo Chriſti ſeruatoris noſtri veſtigijs inhæreret, & non præceptis tantum, ſed conſilijs etiam, vt theologi loquuntur eius pro viribus pareret. In hac igitur præclarisſima familia Chryſoſtomus tot honores conſecutus eſt, quos enumerare difficillimum eſſet,verum ita conſecutus eſt,vt non ab eo expetiti, ſed ad eum communi patrum conſilio delati ſint. Quamuis enim ex eius animo ambitiones, & honorum omnium cupiditates euellisſet ſeruatoris noſtri gratia,tamen flagitantibus fratribus, vt in his temporum perturbationibus afflictę reipublicæ ſuccurreret, nihil eis denegandum eſſe ſtatuit;neq; vllum laborem ſubterfugere voluit,quem ſciret ſuæ familiæ fratrumq; ſuorum rationibus, & vniuerſę Chriſtianæ reipublicæ conducere debere: itaq; honores omnes,quos inuitus accepit, ea integritate, prudentia, & animi magnitudine geſſit, vt omnes facile perſpexerint, nihil eum vnquam ſpectaſſe, niſi Chriſti gloriam, Benedictinæ familiæ honeſtatem, fratrum ſuorum ſanctitatem,ac dignitatem:neq; enim illi in omni vita res ram fuit vlla propoſita, quàm vt quotidie vehemẽtius boni omnes eum de ſe optimè meritum eſſe ſentirent: itaq; non facile affirmare auſim Benedictina ne familia illi, an ille ei plus ornamenti,laudiſq; attulerit. Cum enim mirificos progreſſus in omni ſtudiorum, ac litterarum genere, & ſacræ præſertim theologiæ, qua de re paulo poſt plenius agemus,feciſſet, multis in locis florentisſimis Academijs doctor præfuit,& pręcipuè Venetijs vbi in Diui Georgij templo per multos annos euangelium,& ſacras litteras

magna

magna cum ſua laude,& omnium ordinum hominum concurſu interpretatus eſt,nam ad eum audiendum, & viri ſacerdotio prędíti, & optimates Veneti , & Principum , ac Regum legati, & multi alij docti viri,quorum ibi ſemper eſt magna copia ex varijs regionibus diuerſis de cauſis in eam vrbem conuenientium cum ſuo magno fructu confluebant, vt eius doctrina,& cohortatione innumerabilibus hominibus in vmbra mortis habitantibus lux vitæ orta ſit: nam ea dicendi,ſuadendi,docendi,ac mouendi vis in eo erat, vt qui ipſum audirent, non ſolum diſciplinam Chriſtianam docerentur, verum etiam ea,quæ docti fuerant, Chriſtianis operibus comprobare cogerentur. Quare magnum iam nomen in vniuerſa italia,vel Europa potius cõ ecutus erat,cum Paulus Tertius Pontifex Maximus, vt deteſtabilem animarum peſtem, quæ à Luthero exorta,quotidie latius ſerpebat, depelleret,& Romanæ Eccleſiæ ornamenta ſua red deret,eiuſque auctoritatem conſeruaret , generale concilium Epiſcoporum, Antiſtitum,Præſulumque omnium,ad quos ea cura pertineret,ex omnibus orbis partibus,quæ Pontifici parerent,Tridentum conuocauit:itaque cum res,ac tempus poſceret, vt Benedictina familia illhuc aliquot patres honore, vitæ ſanctitate,& doctrinæ gloria inſignes mitteret,ſtatim oculi omnium in Chryſoſtomum cõ iecti ſunt,& quamuis nondum ad eam ętatem perueniſſet, in qua ſo liti ſunt in ea familia ad Abbatis gradum efferri, tamen vt ad illud munus obeundum aptior redderetur,habitis patrum comitijs Abbas omnibus ſuffragijs,& ſummo omnium conſenſu creatus eſt,quẽ ſane dignitatis gradum Chryſoſtomus nunquam optauit,ſed Eccleſiæ laborantis iuuandæ ſtudio incenſus libenter accepit, & totius familię nomine Tridentum cum duobus alijs Abbatibus Iſidoro Clario,qui aliquot poſt annis Fulginatum Epiſcopus factus eſt, & Luciano,qui deinde nobiliſsimo, & omnium Benedictinę reip. maximo Mantuano collegio præfuit, miſſus fuit:atque hi tres potiſsimũ delecti fuerunt, quia vnuſquiſq, illorum & Hebraicam & Gręcam, & Latinam linguam optimè callebat,& in vnaquaque earum ſcribere,ac loqui poterat. Quid ego hic vobis narrem ea,quæ Chryſoſtomus ibi ſuaſit,& geſsit?quid explicem, quæ illius fuerit & priuatim *cum* collegis & amicis,& palam in Epiſcoporum, & præſulum conuentu oratio?cum Eccleſiæ Romanæ ſtatum maleuolantiſsimis hæreticorum obtrectationibus, & acerrimis calumnijs expoſitum deploraret, cum vniuerſum Pontificum & ſacerdotum ordinem ab ijſdem maledico dente carpi, & verborum contumelijs lacerari oſtenderet,ac Petri nauiculã multò maioribus, & turbulentioribus in dies tempeſtatibus quatiendam demonſtraret, niſi Eccleſiaſtica diſcipli na iam aliqua ex parte collapſa reſtitueretur,niſi deprauati quorun

dam clericorum mores emendarentur, niſi modus auaritiæ illorum qui plura ſacerdotia poſsidebant, & ambitioni, aut inertię illorum paſtorum, qui gregem alijs commendantes, ipſi ab eo aberant, conſtitueretur, & omnes ad oues ſuas paſcendas, & populos in officio continendos ire compellerentur, & cętera etiam corrigerentur, aut potius tollerentur, quæ leues homines, & inconſtantes offendebãt, quæque ipſis malitioſi veteratores, atque hominum peſtes obijciebant, quorumque ſpeciem opponentes fucum faciebant, & à vero Dei cultu quamuis immeritò eos abducebant, & vt obedientiam abijcientes à ſancta Romana Eccleſia, cui lege naturę & religionis ſubiecti erant, deficerent, efficiebant. Nimis longa ſumeretur oratio, ſi omnia, quæ ab eo cogitata, relata, diſputata, & perfecta ſunt, recenſere vellem. Hoc tantum dicam, quod apertiſsimum eſt, & maniſeſtiſsimum, ita ſe geſsiſſe in concilio Chryſoſtomum, vt omnes, qui ibi adfuerunt, pręclarum iudicij ſui teſtimonium ipſi dederint, vt dicerent ei neque in conſilijs de Chriſtiana rep. capiundis diligẽtiam, neque in periculis ab ea propulſandis animum, neque in ſententia ſimpliciter referenda fidẽ: neque in hominum à Catholico, & vero cultu abhorrentium voluntatibus pro recta religione lædendis libertatem, neque in falſis hæreticorum opinionibus refutandis doctrinam, neque in eorum ſententijs infirmandis, ac diluendis vim, neque in perferendo labore induſtriam, neque in Catholicorũ commodis augendis gratam animi beneuolentiam defuiſſe. Dum igitur ibi Chryſoſtomus degeret, & in rep. Chriſtiana ornanda occupatus omnes ſuos neruos ad eam rem intenderet, vt malitia excluſa, fraude repulſa, & omni errore ſublato vanitas, & mendacium veritati cederent, vos Illuſtriſsime Princeps, & patres ampliſsimi, ad quos multorum hominum ſermone, ac voce fama conſtans, & illuſtris de illius virtutibus peruenerat, ampliſsimo ſenatus decreto certum hominem in Italiam miſiſtis, & magnis precibus ipſum aduocaſtis, vt huc aduectus fere labentem Melitenſem ſocietatẽm D. Benedicto dicatam, cæteraſque, quę ab illa pendent, ſuſtineret, & conſtitueret, & ne quis ſcrupulus reſtaret, qui eum tenere, ac remorari poſſet, aut deberet, Paulum Tertium Põtificem Maximum exoraſtis, vt ei hoc interpoſita auctoritate ſua permitteret, & ea de cauſa Pontificias litteras, quibus ſumma illi poteſtas corrigendę, & cõſtituendæ ad Benedicti normam eius ſocietatis deferebatur, abſtuliſtis, & à Benedictinis etiam patribus, vt idem illi concederent, precibus petijſtis, & non ſine difficultate impetraſtis; ægre enim illi patiebantur, vt ſcriptis ad vos litteris teſtati ſunt, cum à ſua familia tã quam cor à reliquo corpore auelli. ſed Chryſoſtomus, qui honeſta petenti nihil vnquam denegare ſolitus erat, & maximo ſtudio rei

Chri-

Chriſtianę iuuandæ,& Benedictinæ familię augendæ, & amplificandæ tenebatur,cum videret ſe poſſe & Pontificis, & patrum voluntate vobis obſequi,alacriter precibus veſtris ceſsit,& ſuſcepta prouincia ita eam conſilio,& ratione adminiſtrauit, vt ex ea multum laudis rebus ſuis acceſſerit:nam quos labores exceperit, quos ſudores diurnos,nocturnosque impenderit,difficile eſſet mēte ,ne dum oratione conſequi. Verum omnia ex euentu patent; tantum enim diligentia,& induſtria profecit, vt citò illa ſocietas & numero hominum,& eorundem diuina eruditione aucta ſit,itaque neminem operis,quod ibi factum eſt,pœnitere poteſt. Quare vos patres ampliſsimi cum multis poſt annis Ludouicus Beccatellus Archiepiſcopus veſter ſenex optimus , & omni honore digniſsimus , & eruditione, probitate,& vſu magno rep. Chriſtianæ probatiſsimus ab Illuſtriſſimo,& ſapientiſsimo Principe Coſmo Medice Magno Etruriæ Duce vocatus eſſet,neque amplius huic Eccleſiæ inſeruire poſſet , Archiepiſcopatum ad Chryſoſtomum detuliſtis,& ipſi denique & eius poteſtati,vel bonitati potius religionem, res diuinas, cerimoniaſq; ſacras,& omnia,quæ ad verum Dei cultum pertinerent, interpoſita Pij Quarti Pontificis Maximi auctoritate , commiſiſtis, & vt ſacra omnia in eius ditione eſſent voluiſtis . Atqui cum in ornatiſsima,& honeſtiſsima Ciuitate dignus fuerit iudicatus ampliſsimo præmio, & quidem à viris optimis,ac prudentiſsimis , quibus amplius opus eſt argumentis ad indicandam eius prȩſtantiam, & in omni genere virtutis excellentiam ? ſed res etiam quas ea dignitate ornatus geſſit,immortali laude dignæ ſunt:nam & ciuitati , ac ſponſæ utiles & honeſtę,& populis,ac filijs commodę,& ſummo Pontifici,& vniuerſæ Eccleſiæ gratę,probatęque fuerunt. Nam Pius Quartus ſummus Pontifex,& vniuerſum Cardinalium collegium cognita veſtrorum poſtulatorum ęquitate non ſolum honeſtiſsimas preces veſtras audiuit,ipſumque Archiepiſcopum deſignauit;ſed cum eodem tempore Catharenſibus etiam Epiſcopum mittere opus eſſet,cumque Paulus Bizantius (quem ego pro eximia ſua virtute,ac probitate honoris cauſa nomino) à plerisque depoſceretur,& expeteretur,maleuoli quidam inſurrexerunt, & non paucas criminationes , vel calumnias potius in eum contulerunt, vt ipſum ab eo honore repellerent. Itaque quamuis ea prouincia ad Diœceſim hanc Rhacuſinam non pertineat, Chryſoſtomo tamen Archiepiſcopo iam deſignato , ſed nondum inaugurato , atque iniuncto mandatum eſt , vt diligenter omnia perſcrutaretur , & inueſtigaret , & ad ſummum Pontificem maximè aperta,& manifeſta referret. Is vero Catharum profectus, & iniquorum calumnijs cognitis Paulum omni crimine liberauit, & Pius Pontifex ſanctiſsimi huius ſenis tabulis, & litteris adductus

ſtatim Paulum Bizantium Epiſcopum Catharenſem renunciauit. Atque is eo munere ſuſcepto ita ſe ſemper geſsit, vt tandem illi,qui honori inuiderunt ſuo,tamen,eos vniuerſos, qui ipſum delegerunt, plurimum vidiſſe confeſsi ſint, & nunc eius Diœceſis populi ea de cauſa ſibi beatiſsimi eſſe videantur, & maximas gratias Chryſoſtomo agant,& habeant,quòd eius opera paſtorem nacti ſint,quem nõ ſicut apud ſe natum,& Roma miſſum,ſed quaſi de cęlo delapſum intuentur: ſed vt ad Chryſoſtomum reuertamur in eo munere, & in vniuerſa Archiepiſcopatus adminiſtratione maximè perſpecta eſt eius virtus, & explicati mores: Verum eſt enim illud Biantis.Magiſtratus virum oſtendit.Nihil enim vnquàm ambitioſè egit, nihil,vt gratiam captaret, tractauit, nunquam honeſtas petitiones reiecit, aut aditum ad ſe cuiquam obſtruxit.In iure dicendo cum ſciret ſummum ius eſſe ſummam iniuriam,omnia ſemper ad facilitatem, ęquitatemque referebat,litium actiones:& omnium controuerſias ſe dare,ac tollere conabatur,quòd ſi obſtinatos litigantium animos videret,vt ad concordiam adduci poſſe diffideret, quamprimum quid iura,quid ſacri canones poſcerent accuratiſsimè circunſpiciens, ſtatuebat,decernebat,ac iudicabat,& cogitans non ſolum poteſtatem datam,ſed etiam fidem habitam eſſe,ne trãſuerſum quidem,vt aiũt digitum à pręſcripto legis diſcedebat. Qua in re ita ſeueritatem comitati miſcuit,vt in plurimorum controuerſijs dijudicandis ab omnibus diligeretur,conſequereturque vt eos ipſos, quos cõtra ſtatueret,æquos,placatoſque dimitteret:itaque & ſi gratiæ cauſa nihil faceret,omnia tamen grata eſſent,quæ faceret,cumque natura eſſet lenitate dulcis,voluntatem etiam, & ſtudium ad eam adiunxit,vt qui ſciret D.Paulum pluribus in locis Epiſcopis omnibus id præcepiſſe, vt in ſpiritu lenitatis populos inſtruerent: itaque non parum ea ratione profecit,nam prohibendo à delictis magis,quàm vindicando populum in officio continebat, & pudore magis,quàm malo coercebat.Quibus ille rebus fortaſſe quibuſdam nimis lenis videri potuiſſet,niſi ea lenitas optimè, cum opus erat,ſeueritatem tutata eſſet.Verum in hoc ſanè munere non facile dixerim diligentia ne, an innocentia,vel integritas potius maior in Chryſoſtomo fuerit:omnes certè has virtutes præſtitit, neque vnquam in illo negocio à vera iuſtitia ne latum quidem vnguem diſceſsit:itaque nemini vnquã nocuit, & ſemper communi vtilitati ſeruiuit, & magna commoda huic ciuitati,& vniuerſæ ditioni attulit. Non enim ei in deliberando conſilium,non in beneficio benignitas, non in erudiendo doctrina,non in monendo affabilitas, non in obiurgando iucunditas, & grauitas deerat, ſed duntaxat in ſupplicio crudelitas:cum enim aliquid dubij accidebat,apparebat ſapientiſsimus, cum pręmium di-

gnis tribuendum liberaliſsimus, cum ignari docēdi eruditiſsimus, cum errantes corrigendi iucundiſsimus, & grauiſsimus: at cum ani maduertendum clementiſsimus. In optandis autem, & deligendis ijs, qui ſacris ab eo initiarentur, quos Eccleſijs præficeret, quos ad Dei aras perduceret, quos ſacrorum haberet participes, atque administros diligentiſsimus fuit: cum enim bonos ſacerdotes Christianæ ſtabilitatis, ac felicitatis firmamentum eſſe putaret. in ijsque proram, & puppim noſtrę tranquillitatis, & Petri nauiculæ conſiſtere iudicaret, eos indignos tanto honore ducebat, qui cæteris nō præſtarent, qui caſtè, & purè non viuerent, qui ſalutari doctrinæ nō ſtuderent, qui ab omni labe non abhorrerent, & denique qui tota mente, toto animo, toto corde mundi, & incorrupti non eſſent: ſed quàm meritò hæc omnia facta ſint, melius perſpiciemus, ſi animi bona quæ in eo fuerunt, explicuerimus. Nemo veſtrum eſt quin ſciat ciuilem hanc vitam, quæ in actionibus, in quibus virtutis laudem conſiſtere doctiſsimi viri tradiderunt, poſita eſt, honeſtate tantum cōtinere. Vita nāq; hominū nullo pacto permanere pōt, nec ſine prudentia, quæ multarū bonarū rerū modū continet, nec ſine iuſtitia, quæ facit, vt dū cuique ſuū tribuitur, homines quietè viuant, nec ſine fortitudine, cuius ope tecti contra oīa pericula tuti ſuus, nec ſine tēperātia, qua veluti firmiſsimo quodam fræno coercemur, ne ad luxuriam, ad otium, cæteraſque inhoneſtas voluptates delabamur. ſed quę nam ex his virtutibus Chryſoſtomo defuit? aut quæ potius nō & maxima fuit, & firmas in eo radices egit? Placet mihi, vt à prudētia initium ducamus, qua vna omnes alię virtutes regi videntur. Duobus modis in homine prudentia ſpectari poteſt, quatenus natura tribuitur, & quatenus multarum rerum vſu, & experientia paratur, cuius officium eſt ſcire ſe ipſum, & omnia ſua rationis auxilio ad bonum finem dirigere: quę quidem omnibus alijs virtutibus facem præfert, ac lumen oſtendit, vt quęque officium ſuum cognoſcat, cognitumque exequatur. Quòd ad primam prudentiæ partem attinet, quàm largè natura ipſum ornauit, facile perſpicere poterimus, ſi conſideremus quàm benè ſemper ſe geſſerit, quàm rectè adoleſcentiam inſtituerit, quàm diſcendi ſtudioſus fuerit: magnum enim & illuſtre ingenium in ipſo elucebat, quo quidem ſubtiliter omnia præuidebat, & ad excogitandum, explicandumque celer ad modum & acutus erat, ad efficiendum verò accerrimus. In altera verò, quę præcipue comparatur inſtitutis multarum vrbium, & moribus diuerſorum populorum hominumque cognoſcendis, quis ei comparari poterit? qui præter quàm quod multos annos in primarijs Italię vrbibus, & pręcipue Venetijs vixerat, & in totius ferè orbis theatro cum multis variarum nationum hominibus, qui eò va-

rius

rijs de cauſis accedunt,conſuetudinem habuerat, omnem Italiam, & totam ferè Europam peragrarat, & cum omnibus omnium generum hominibus verſatus eſt,ac mores hominum,gentium ritus, populorum leges didicerat,& res omnes tam antiquitus,quàm noſtra memoria geſtas cognouerat. Multis præterea, & maximis negocijs non interfuerat ſolum,ſed etiam præfuerat, multa audierat, plurima viderat,ac memoria tam firma ornatus erat, vt nihil obliuiſci poſſe videretur, ſatisque ei eſſet ſemel quippiam legiſſe,aut audiſſe: itaque collectis in vnum multorum ſæculorum rebus, & earum euẽtis exploratis ex præſentibus,ac preteritis futura coniectabat,omniaque rectè ratiocinabatur,& ex ratiocinatione benè iudicabat,& ex iudicio optimè explicabat,conſiliumque capiebat, & veram viã inibat. Atqui homines,qui hoc ordine progrediuntur,ægre labi,aut cadere poſſunt,neque rurſus falli,aut prodi. Nihil igitur tam arduũ erat,ac difficile, nullus euentus tam ſubitus, ac repentinus, quem conſilio prudentiaque mirabili non celeriter,ac rectè explicaret,& in quo non potiora deligeret,deterioraque caueret. Sed quid de iuſtitia dicam? quæ eſt omnium domina, & regina virtutum; ex qua vna boni viri appellantur,quę eſt fundamentum perpetuę commendationis,& famę,ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile,in qua virtutis, ſplendor eſt maximus, quæ bona mortalibus à Deo data rectè diſtribuit,ſine qua nec domus,nec Ciuitas vlla gubernari poteſt, immò ſine qua humana ſocietas ne punctum quidem temporis ſeruari quiret, & à qua tanquam à perenni fonte omnia bona manant, & quæ vna omnes alias virtutes complectitur,& cuius ſplendor tantus eſt, vt Græcus ille dixit, vt neque Heſperus, neque Lucifer ita ſplendidus,atque admirabilis ſit,& qua denique omnia tum humana,tum diuina,rectè adminiſtrantur,& qua, ſi fieri poſſet,ſublata,neque cœlum quidem ipſum, neque beatorum ſedes diutius permanere poſſent. Pudet me in ea non poſſe vobis ea verbis efferre,quæ animo cõceperam,ſed vbi res extant,& eminent, non opus eſt multis verbis; nam iudicium certum, quod vos Illuſtriſsime Princeps, & patres ampliſsimi,qui in hominibus deligendis diligentiſsimi ſemper, & prudentiſsimi fuiſtis, de ipſo iamdiu feciſtis, neq; mea,neque vllius oratione eget: cum enim cognouiſſetis præclaras omnes virtutes,& hanc pręcipuè maximam, & perfectiſsimam in Chryſoſtomo eſſe, vltro ipſum aduocaſtis, & ad eum exorandum, & accerſendum, & adducendum Tridentum vſque ad concilium miſiſtis,vt ad vos accedens ſacræ Melitenſi ſocietati Abbas,& magiſter præeſſet,& omnia ad eam pertinentiam nutu,& arbitrio ſuo gubernaret, ac regeret: cumque id impetraſtis maxima omnes lætitia affecti fuiſtis. Atque is ita munus illud adminiſtrauit,ita familiam ſibi creditam,fra

tresque

treſque ſibi commiſſos inſtituit, tam probè religioſèque omnia ne gocia ad eam curam ſpectantia tranſegit, vt nihil amplius ne optari quidem poſſet. Quare vos eius bonitate, ac ſumma virtute in eo mu nere obeundo penitus perſpecta eum honorem, ac magiſtratum ad ipſum detuliſtis, qui ſupremus, & maximus omninm in hac veſtra ci uitate, ac ditione eſt, & denique ſacerdotum Principem & Corypheum etſi inuitum ac renuentem conſtituendum curaſtis, eumque dignum, qui Ludouico Beccatello ſuccederet, cuique ille altiſsimū hunc dignitatis gradum de manu, vt aiunt, in manum traderet, indi caſtis. Erat porrò Chryſoſtomus totus ex fide, quæ fundamentum iuſtitiæ ducitur, & veritate factus, & eas dotes, quas à natura habebat etiam ſtudio, atq; artificio quodam virtutis condiuerat, vt omnes, qui ipſum nouerant, magis crederent eius verbis, quàm aliorū pactis, aut ſacramentis. Tanta, ac tam præclara res eſt tum in alijs omnibus tum in ſacerdote pręſertim, ac Pontifice fidem, religionéque colere, ac ſeruare. Quod verò ad fortitudinem ſpectat, quam tertio loco tractandam mihi propoſui; erat in omnibus rebus magna æquitate, vt & aduerſas, & ſecundas res moderatè, & eodem vul tu ferret, neque in ipſo vlla mentis mutatio fieret, atque omnes humanos caſus virtute inferiores putaret, & omnia ſua in ſe poſita eſſe duceret, atque in periculis magno robore ſeptus, & in rebus arduis inſigni tolerantia prędictus erat: itaque nulla vnquam incommoda, nullos labores fugit, vbi ſe rei Chriſtianæ pro futurū ſperaret. Quare nunquam ſenectutis, aut corporis imbecillitatem oppoſuit, quo minus ad ſe delatum munus ſuſciperet, atque illud optime adminiſtraret: exiſtimabat enim priuato incommodo nunquam debere cō ſtantes & pios viros à publicis muneribus abduci neque vllo caſu poſſe illis contingere, vt vlla intermiſsio fieret officij: itaque cum vos ad eum Archiepiſcopatum detuliſtis, quamuis altiſsimum illū gradum ſolicitudinis, ac moleſtiæ plenum cognôſceret, & natura & inſtitutione vitę ab omni ambitione abhorreret, tamen vt vobis ob ſequeretur, & ei obediret, qui dixit. Qui vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me; hilari tandē animo accepit, & ſi ſe onus Aetna grauius ſubire cognôſceret. Turbidos verò animi motus ita compreſſerat, vt nulla re vehementius perturbaretur. Quis vnquam audiuit ei irato verbum vllum reprehenſione dignum excidiſſe? cui vnquam conuiciatus eſt? cui ab eo poteſtas non data eſt dicendi & cauſam ſuā explicandi quoties vellet, & quam diu vellet? pericula verò omnia, quę ſibi impenderent non forti ſolum, ſed elato etiam animo excepit. Dixi de prudentia, dixi de iuſtitia, dixi de fortitudine, ſed ita dixi, vt dum plurima inci pio, pauca explicem, & nihil abſoluam. Sed vos mihi ignoſcetis, pa-

tres

tres prȩſtantiſsimi, & argumenti magnitudini, ac temporis breuitati tribuetis; quæ tanta fuit, vt ne cogitare quidem, ne dum digerere, & memoriȩ mandare, quæ dicenda erant, poſſem. Reſtat vt de temperantia dicam, qua quidem virtute prudentiam maxime conſeruari aſſeruit Ariſtoteles. Hac igitur cumulatus fuit ſanctiſsimus hic pater. Fuit enim adoleſcens, fuit iuuenis & in locis celeberrimis, vbi illecebrarum & voluptatum omnium copia erat, vixit. Sed quis vnquam audiuit Chryſoſtomum, turpiter quicquam feciſſe, aut dixiſſe? quid quòd ita mentem à ſenſibus reuocarat, vt non ſolum non aggrederetur quicquam, quod ad voluptates corporis pertineret, ſed nec etiam deſideraret, aut animo pertractaret. Ita enim cupiditates omnes domitas habebat, & ita in eo ratio affectibus dominabatur, & appetitus regebat, vt quicquid non omnes numeros honeſtatis haberet, ſtatim refugeret. In victu deinde, ac veſtitu, & omni cultus genere quàm parcus eſſet, omnes noſtis: neque enim egregijs veſtibus, nec pretioſis vaſis, neque profuſis epulis delectabatur; ſed naturam optimam ducem ſequutus, paruoque contentus, omnibus in rebus ſimplex, & ſincerus erat, & ſuperuacuum omne fugiebat. Multa alia de temperantia dici poſſent, quæ breuitati ſeruiens omitto. Illud tamen verè: affirmare poſſum Chryſoſtomum nihil vnquã cogitaſſe, aut feciſſe, niſi prudentia duce, iuſtitia adiutrice, fortitudine comite, temperantia moderatrice. Singulari præterea humanitate aduerſus omnes, atque clementia ornatus erat, & res humanas penitus deſpiciebat. Erat in eo etiam quædam naturalis grauitas, vt nullo animi affectu à veritate diſcedere poſſet: religionis ſtudioſiſsimus ſemper fuit: paci & omnium ordinum concordiȩ maximè ſtuduit, tenebrarum opera abiecit, & indutus eſt arma lucis, & fidei clypeo ſub nixus, & virtutis magnis ſubſidijs fultus, & innocentiȩ prȩſidio tanquam aheneo muro munitus, & vitæ ſanctitate vndique tectus, & veritatis viribus fretus, maleuolorum calumnias ſemper neglexit: neque enim eum fugiebat iniquorum ineptias non poſſe bonorum luci quicquam caliginis offundere, aut virtute partam exiſtimationem vlla ex parte offendere: nam ſciebat eò ſemper tranſire infamiam, ibique hȩrere, vbi maleficia conſiſterent; ab ijs verò cito omnem inuidiam diſcedere, ad quos nunquam culpa acceſsiſſet: neque vnquam putauit conſtantem & pium hominem quicquam præter culpam prȩſtare debere: itaque ab omni parte ſecurus prouerbium illud ſæpiſsime vſurpabat. Conſcientia mille teſtes. Et profectò difficilius fuiſſet Chryſoſtomum à recto, quàm ſolem à ſuo curſu auertere. Omitto eius modeſtiam, & manſuetudinem, quas eius virtutes magis admirari, quàm laudare poſſum. Omitto liberalitatem, cæteraſque eius dotes, quæ vobis omnibus notæ, ac probatȩ ſunt.

ſunt. Multi apud antiquos multis virtutibus clari extiterunt, alter tamen altero in aliqua earum ſuperior fuit. Prudentia præſtare dicti ſunt Numa Pompilius, Fabius Maximus, Catones, Pericles. Iuſtitia fuere inſignes Camillus, Fabricius, Curius, Ariſtides. Temperantia celebres ſunt Hyppolitus, Bellerophon, & Xenocrates. Forti, & inuicto animo fuere Iulius Cæſar, duo ſcipiones, qui iter pœnis corporibus ſuis obſtruere voluerunt: ambo Africani, qui fulmina belli à poeta dicti ſunt, Marcellus, & Marius. Sed ſi interrogarer quæ nā præcipua & maxima virtus in Chryſoſtomo fuerit ægre admodum reſpondere poſſem: veruntamen affirmarem in eo plurimas, & maximas fuiſſe, & ita fuiſſe, vt in omnibus excelleret. Sed quia ad omnes Chriſtianos pertinet ardenti amore Deum rerum omnium effectorem, & ad Antiſtites inſuper gregem ſibi commiſſum proſequi, & quibuſcunq; rebus honeſtè poſſunt, ei commodare ſtudere, & quia Chryſoſtomus his etiam virtutibus, vt cæteris omnibus abundauit, de his etiam breuiter agemus. Quid de illius pietate dicam? quis vnquam Deum magis coluit, aut verius veneratus eſt? quis ſanctius eius præcepta ſeruauit, aut imperio paruit? quis ſacerdotes, & Dei cultui dicatas perſonas magis fouit? quis res ſacras maiori animi affectu proſecutus eſt? Is enim nullum ferè diem prӕterire patiebatur quo non diligenter diuina officia vſurparet, & vel publicè, vel priuatim (ad hoc enim ædiculam intra domeſticos parietes habebat) ſacrificium proprio ore, & manibus ritè faceret: Itaque in terra degens cæleſtium Angelorum concentum imitabatur, nam ineūte die ad preces exurgebat, & hymnis, & canticis creatorem Deum venerabatur: deinde ſacrificijs perfectis ad agendum conuertebatur, & in negocijs etiam prӕcationes admiſcebat, & diuinis laudibus tanquam ſale omnes ſuas curas, & dum opus aliquod faceret obiter hymnos decantabat, vnde præter cætera bona hoc etiam conſequebatur, vt nihil ei neque ſecundi, neque aduerſi eueniret, quod eum aut lætitia, aut dolore afficeret, ſed ſemper in eodem mentis ſtatu permaneret: nam ſacrorum hymnorum cohortationes & Deum nobis placatum efficiunt, & hilarem, alacremque animæ habitum hominibus largiuntur, & æquabilitatem ipſis afferunt. Prӕterea vt diuinarum rerum meditationi ſtuderet, vtque cor eius aptius ad diſciplinam ex diuina doctrina informatam, & ingenitam admittendā redderetur, conabatur quoad poterat, à conſenſu corporis, mutuaque affectione animum auocare, vt is ſine corpore velox peregrinaretur, & quia ſcieba ſolitudinem, vtpote quæ ſua quiete omnes noſtras perturbationes conſopire, & ſpatium rationi ad eas penitus ex anima noſtra elidendas dare ſolet, ad id aſſequendum magnum adiumentum afferre, cum per negocia & occupationes ei licebat,

ne aſsiduitas meditationis vlla externa re interpellaretur, honeſtum ocium ſibi ſumebat, & in loca remota, & ab hominum præſertim prophanorum congreſſu libera ſe recipiebat, vbi ſolus aut cum ſui ſimilibus in mentis agitatione, & pietatis meditatione viuens diuinis cogitationibus animum alebat dum enim religioſi, & prętantes viri in huiuſmodi locis degunt, externæ res non habēt tantam vim, vt facile per eas mens ſeuocetur, aut per ſenſus ad ipſas diffundatur: verum ipſa ad ſe redir, & ſe intuens Dei cognitionem capit, & decore illo, ac lumine illuſtrata rerum humanarum obliuiſcitur, & quaſi corpore ſoluta, & uacua, terrenaque negligens, omne ſuum ſtudium ad cœleſtia, & uera bona conuertit, & rationibus ueritatis, cuius luce nihil ei dulcius eſſe poteſt, agitandis, exquirendiſque ſuſtentatur, & eo pacto ex omni moleſtia reficitur, & bonarum rerum, ac diuinorum pręmiorum expectatione erecta conquieſcit.

Amoris autem, quo ſponſam hanc ſuam ideſt Eccleſiam Rhacuſinā & filios ſibi commiſſos Chryſoſtomus proſequeretur, quod nam maius argumentum, aut certius teſtimonium afferre poſſum, quàm quod omnes ſcitis? quodque is paucis ante menſibus in animis omnium infixum, atque impreſſum reliquit? cum enim ſentiret corpus ſuum iam ob ſenectutem ita infirmum, ac debile factum eſſe, vt eoſdem, quos antea ſubire ſolitus erat, labores amplius ſuſtinere non poſſet, vt diuinas litteras interpretari ægre admodum valeret, & denique mortem ab ſe non longè abeſſe intelligeret, quamuis officio, & pietate cęteris ſatisfaceret omnibus, ſibi ipſe tamen minime ſatisfaciens Archiepiſcopatum deponere, ſeque illo munere abdicare cogitauit, & de turba, & negocijs in litterarium otium, & Melitenſem ſolitudinem conferre ſtatuit: ideoque à vobis, amplisſimi patres, petijt, vt ſibi ſucceſſorem optandum curraretis, cui omnem prouinciæ adminiſtrationem omnesque Eccleſię prouentus concederet. Sed cum vos amore, & liberalitate certantes ſummis precibus, & lachrymis ab eo contenderetis, ne gregem deſereret, qui viuente illo nullum alium paſtorem pari poſſet, charitate ductus nihil vobis denegandum ſtatuit, ſanctiſsimumque illum Turonenſium Præſulem Martinum imitatus dixit, Si adhuc populo neceſſarius ſum, non recuſo laborem, & in hoc ſupremo magiſtratu tanquam in extremo pietatis actu quo ad Deo & vobis placeret, ſibi perſeuerandum decreuit. Sed tempus eſt iam, vt ad eas virtutes trāſeam, quę quia ad res diuinas, & ipſum Deum pertinent, meritò theologicę vocantur; quæque ob nobilitatem, & excellentiam rei ſubiectę inter alias omnes principatum obtinent: nam cum cognoſceret Chryſoſtomus hominum ſalutem ex ipſis aptam pendere, in iJsque omnia ad eam attinentia poſita eſſe, omne ſtudium in ipſis

collo-

collocauit: ſciebat enim hoĩes, & ſacerdotes p̃ſertim ſine his nihil boni, nihil honeſti, nihil ſancti, & Chriſtiano homine digni perficere poſſe. Harum namque auxilio vitia ex animo expellunt, bonos mores acquirunt, & tuentur, & vitam omnem optimè inſtituunt, & quid ſequendum, fugiendumque ſit cognoſcunt. Hę homines flagrantiores, ardentioresque in rebus diuinis in dies efficiunt, perfectioresque & ſanctiores in horas reddunt. Per has homines cum Chriſto coniunguntur, & Deũm ſincerè contemplantur, eius voluntatem agnoſcunt, eique parent, & eius imperio ſe ſubijciũt, per has aditum, aſcenſumque ad cœlum ſibi aperiunt, & cœleſtia gaudia parãt, ac Dei beneuolentiã ſibi conciliant: his ducibus in eius conſpectũ prodeunt, & in eius faciem intuentes quicquid eſt abſtruſum natura, quicquid reconditum & occultum facile perſpiciunt: tunc enim anima noſtra diuino perfuſa fulgore, & eius calore, amoreq; accenſa, veraque luce illuminata in omnia penetrat, omnia videt, omnia percipit, & cognoſcit, & quanto maximo capere poteſt gaudio fruitur. Verum quia non poſſunt hæ diuinæ virtutes humanis viribus comparari, ſed Dei dono pijs mentibus infunduntur Chryſoſtomus cum maxima cordis puritate, & mẽtis ſinceritate, ac ſimplicitate, quibus potiſsimum gratiarum omnium largitor diuinus ſpiritus delectatur, præditus eſſet, pias, & iuſtas preces ad Deum, qui inquirentibus ſe remunerator eſt, effudit, rogans eum intimis animi affectibus, vt ſuis ſanctiſsimis votis adeſſet, ſibique has theologicas virtutes largiretur; neque vnquam dubitauit quin tanquam munificentiſsimus, ac benigniſsimus pater omnia, quę puro corde, & conſtanti animo poſtularet, conceſſurus eſſet: itaque ſæpiſsimè diuinum illud oraculum in ore habebat, Quæcunque orantes petitis, credite quod accipietis, & venient vobis. Fides igitur, quæ corda hominum pura reddit, quæ eſt humanæ ſalutis initium, & iuſtificationis radix, quæ ad veritatẽ ducit, & eſt principium cognitionis eius: ſine qua nullus Deo placere poteſt, & inter eius filios numerari, perfectiſsima, & firmiſsima in eo erat: itaque omnibus illis rebus, quas ex Dei mandato ſancta nobis proponit Eccleſia alacriter aſſentiebatur, eaſque veras penitus eſſe credebat, & nullum aliud experimentum quærens ſatis eſſe dicebat eas ab Eccleſia comprobatas eſſe. Sciebat enim eam ſpiritu ſancto regi, & religionem noſtram diuinæ veritati inniti, ideoque nihil falſi in ea eſſe poſſe, & quæ hic non videns credebat, ea omnia ſe in cœlo viſurum ſperabat. Sed quia fides ſine operibus mortua eſt, & per ſe non coniungit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit, alias etiam ad eam adiunxit. Spes enim, quę eſt futurę beatitudinis expectatio, maxima in eo fuit: qua

los propoſitam haberet,& omnia ſua opera in charitate perficeret,
& quęcunque ei pauperes ſubleuandi poteſtas daretur,eam in hono
re atque in beneficio poneret:itaque cum inuictu parciſsimus eſſet,
ac frugaliſsimus,omnes ſuos redditus in mendicos homines alen-
dos,in ſacras virgines ornandas,& commodis augendas,& in alias
nuptui collocandas, atque huiuſmodi opera, quæ ad Chriſtianam
charitatem,& pietatem pertinent,peragenda erogabat,vt ea condi
tione, eoque fato natus eſſe videatur, vt omnes vitę ſuæ partes ad
remp.Chriſtianam iuuandam, atque ad bene de hominibus meren
dum contuliſſe videatur. Sed quia hucuſq; de eo genere vitę, quam
actiuam vocant,egimus, & quia Chryſoſtomus non ſolum in actio-
nibus præſtitit,ſed etiam ad diuinarum rerum cognitionem ſe extu
lit,& contemplatiuam vitam,in qua vera hominum felicitas,& vl-
tima beatitudo continetur,amplexus eſt, tempus poſcere videtur,
vt ad hanc partem tranſeamus. Sicut rerum grauium proprium eſt
deorſum ſuo motu ferri,& leuium ſurſum tendere, ita hominis pro
prium eſt cupere non ſolum eſſe,& viuere,vt plantæ,non ſentire tan
tum,vt belluæ,ſed & intelligere, vt Angeli: itaque naturalis,atque
inſita in animis noſtris eſt ſciendi,& intelligēdi cupiditas, qua ad-
ductus Chryſoſtomus ab ineunte vſque ętate inflammato ſtudio ad
veritatem inquirēdam, & inueſtigandam ferebatur, & quia veritas
percipi ab hominibus ſine ſcientiarum, quibus illa in lucem profer
tur,cognitione non poteſt: neque ſcientiæ rurſus comparari que-
unt,ſine illarum linguarum,in quibus ſcriptæ & explicatę ſunt, in-
telligentia, Chryſoſtomus latinam linguam penitus percepit:dein
de cum intelligeret Gręcam etiam magnum afferre adiumentum
ad ſcientias conſequendas; tantum ſtudij, diligentięque in ea po-
ſuit,vt nihil tam abſtruſum eſſet, aut reconditum, quod eum late-
ret. Atque hæc non eſt minima inter eius laudes,quod tanto lingua-
rum ſtudio tenebatur,vt demum Hæbraicam etiam optimè didice
rit.Cum igitur in celeberrimorum poetarum,hiſtoricorumque le-
ctione diu verſatus eſſet,deinceps oratorię arti cognoſcendę ſe de-
dit, tantumque aſsidua exercitatione profecit, vt in omni genere
orationis copioſè,ornateque diceret,& ſcriberet,cuius rei luculen
tiſsimi teſtes ſunt,& erunt ſempiterni libri,quos ſuo marte doctiſsi-
mè,ornatiſsimeq; ſcripſit,& quos ex Græco in Latinum ſermonem
elegantiſsimè tranſtulit:nihil enim eius oratione purius, nihil in-
corruptius,nihil nitidius, nihil dulcius, nihil elegantius dici, aut
excogitari poteſt. Deinde verò ſe ſapientiæ ſtudijs tradidit, quam
quidem non deguſtauit ſolum,ſed penitus abſorbuit.Ethicem om-
nē,quę de vita,& moribus agit,didicit,in qua vidit quinam ſit ho-

mum bonorum finis,& quibus functionibus,quaſi certa quadam via,ad eum perueniri poſsit:ibi optimè percepit quo pacto nos gerere,ac vitam inſtituere debeamus:neque didicit ſolum,ſed etiam, quod huius facultatis proprium eſt,ſui periculum fecit,& præcepta omnia eius diſciplinę ſeruauit; virtuteſque ita coluit, vt ex earum præſcripto viueret.Progreſſus eſt deinde ad phyſicem, in qua nihil eſt,quod non cognouerit,elementa,principia,& motus omnes corporum percepit:itaque admirationis plenus cœlos omnes percurrebat,elementorum commutationes,& eorum omnes effectus cognoſcebat.Fuit igitur vir omnibus in rebus celeberrimus,grammatices,Rhetoricæ,hiſtoriæ laude clariſsimus,acutus dialecticus,ſubtilis phyſicus,bonus mathematicus. Sed cum altiora cogitaret, & ad res diuinas cognoſcendas omni cura,ſtudioque raperetur,metaphyſicæ operam dedit,cumque in eo Plato, & Ariſtoteles non ſibi penitus ſatisfacerent,cumque putaret fruſtra ſapere,quicquid ſanctimoniam,religionemque non ſaperet, ad Chriſtianos theologos ſe conuertit,vnde tanquam ex liquidiſsimo, & limpidiſsimo fonte multa, quę ad veram religionem illuſtrandam, & amplificandam pertinent, hauſit,vbi omnia, quę ſanctiſsimi illi antiqui patres tradunt,quæque ſacroſancta Chriſtiana religio docet,& præcipit,penitus didicit, ac memoriæ mandauit: nam vt theologiam, & fidei noſtrę myſteria certius,ac melius percipere poſſet, Hæbraicã etiã linguam, vt diximus optimè percepit. Cum enim ſciret animos noſtros ab immortali Deo ad ſui imaginem, ac ſimilitudinem immortales creari,atque illos nunquam quieſcere, niſi quatenus fieri poteſt,Deo coniungantur, ita ingenium exacuit, vt ex infimo hoc loco in cœlum penetraret; cumque certò crederet ea, quę de Deo, eiuſque operibus traduntur,quæque nulla certa ratione inueſtigari poſſunt,tamen ea conſiderabat,quę certa,& recta via ad primam veritatem ducunt;quare ita perceperat ea omnia, quę in ſacris litteris continentur,& ſancta Romana Eccleſia defendit,vt nihil in tota noſtra religione tã obſcurũ,& abditũ eſſet,quod ipſe nõ exploratũ, perſpectũq; haberet.Ita.n.in reliquo oĩum diſciplinarũ genere verſatus eſt,vt in theologia excelleret,ita theologiã tractauit,vt dicẽdi ac diſputãdi facultates,aliaſq; bonas artes,q̃ virtutis magiſtræ ſunt, & quibus ſumma gloria paratur,ad illius illuſtrationẽ compararit. Quare in eo nomen veriſsimè reſpondit euentui, non enim ſolum aureum os illi fuit ob eloquentiam,verum aurei etiam mores,aurea vita,aureum ingenium,aurea doctrina ob innocentiam, & ſanctitatem, vt verè videatur ſanctiſsimum illum patrem Chryſoſtomum Byzantij præſulem omnibus in rebus retuliſſe,ac repreſentaſſe. Prę terea cum ſapientia virtutum omnium fundamentum,& rerum om

nium domina,& cuius fructus auro,& gemmis melior eſt, quã vſus genuit,& mater peperit memoria, nihil aliud ſit,vt doctiſsimi viri tradiderunt,quàm rerum diuinarum,humanarumque,& cauſarum quibus hę res continentur, ſcientia, cumque huic optimo patri ea omnia notiſsima fuerint,& multarum,magnarumque rerum vſum habuerit, & non ſolum natura, & moribus; verum etiam ſtudio,& doctrina tam multa ſapienter dixerit,mandarit,ſtatuerit,et fecerit,iure illum ſapientem appellare, & exiſtimare poſſumus, & debemus,atque in ea re illi etiam Socrati, qui ſapientiæ nomine ab antiquis ita celebratus eſt longo interuallo anteponendum cenſere:ſi enim Græcus ille multa ſapienter dixit,hic noſter multo plura ſapientiſsimè fecit, & non verbis tantum, ſed re etiam ſapientiam præſtitit.Hæc omnia,quæ de vtroque vitæ genere diximus,perſpici facile poſſunt,& ex pręceptoribus,quos audiuit,& ex familiaritate, quam cum doctiſsimis viris habuit, & ex diſcipulis, quos erudijt. Verſatus eſt enim in celeberrimis totius Europę,atque adeo terrarum orbis gymnaſijs,vbi audiendo,legendo,diſputando,communicando optimum ſed diſcipulum præbuit. Floruit etiam illuſtrium, & doctorum virorum amicitijs, nam & Reginaldus Polus Anglus Cardinalis ampliſsimus, & totius Chriſtianæ reip. lumen clariſsimum,in quo vno nihil deſiderari potuiſſe videtur ex ijs,quæ à mortali homine, & Chriſtiano viro requiruntur, & cuius iudicium in hominibus,& amicis deligendis propè ſingulare ſemper fuit, hunc noſtrum Chryſoſtomum valde amauit, & quocunque tempore, ac loco illi poteſtas eius præſentis fuit omnium moderatorem conſiliorum ſuorum habuit. Marcellus Ceruinus vir omnibus perfectis artibus, omnique doctrinę genere eruditiſsimus, & de Chriſtiana rep. optimè meritus,qui Pontifex etiam maximus factus eſt,magno pere Chryſoſtomum dilexit,& niſi tam citò diem ſuum obijſſet ſuę voluntatis ſpecimen in hunc ſanctiſsimum ſenem prębuiſſet,eumq; pręſentem ſanctiſsimis ſuis conſilijs voluiſſet, & eius opera ad rem Chriſtianam conſtituendam profectò vſus eſſet. Gaſpar Contarenus & ipſe Cardinalis vir doctrina, & moribus præſtantiſsimus,cuius prudentia,& virtus in maximis, ac difficillimis rebus eſt ſpectata, magna beneuolentia ipſum proſecutus eſt: fuitque ipſi cum eo magnus vſus; & ſumma vtriuſque officijs conſtituta neceſsitudo, Gulielmus Sirletus & ipſe Cardinalis,& Calaber præſtanti dignitate homo,& vir omni liberali doctrina politiſsimus Chryſoſtomum ſemper in ore,& amore habuit,què ſcio ex illius morte nunc nõ mediocrem dolorem percepturū. Ludouicus Beccatellus vir nunquã ſatis laudatus quanti ſanctiſsimum hunc patrem fecerit,omnes noſtis,cum in hoc grege viſendo, paſcendo, & inſtituendo plures an-

nos

quàm ad diſcendum propenſus, & quàm præſtantiam virtutis, ingenij, doctrinæque conſecutus erat libentiſsime ſuis impartiebat, & cum omnibus communicabat, putabatque fructum virtutis, & omnis excellētię tum maximè capi, cum in alios conferebatur: itaque nunc plurimi in Italiæ luce viuunt, & eorum multi gradus dignitatis maximos conſecuti ſunt, qui gloriantur ſe ſanctiſsimo hoc patre doctore vſos eſſe: & in hac veſtra vrbe, & vniuerſa ditione, in ſacra Melitenſi ſocietate, & in hoc auguſtiſsimo templo multi ſunt viri inſignes, & ſacerdotes venerandi, & Abbates omni honore digni, qui cum in omni diſciplinarum genere doctiſsimi ſint, quicquid tamen ſciunt, Chryſoſtomo acceptum referunt. Ea enim pietate pręditi ſunt, vt cum ſuperiori tempore ipſum ſemper coluerint, & obſeruarint, vt quam poſſent gratiam ei referrent, his etiam ſupremis vitę diebus ipſi continenter adfuerunt, ſacramenta omnia exhibuerunt, & proprijs manibus oculos preſſerunt: neque vllum pij Antiſtitis, & grati diſcipuli officium prætermiſerunt, neque etiam huic extremo exequiarum muneri deeſſe voluerunt, vt eum hominem hac etiam in re ornarent, cui tantum ſe debere affirmant, quantum homines homini debere vix fas eſt: confitentur enim neminem vnquā hominem homini cariorem fuiſſe, quam ſe illi, & rerum ab eo geſtarum ſemper ſe teſtes, laudatores, imitatores futuros præ ſe ferunt. Sed vos omnes, patres ampliſsimi, & viri nobiliſsimi, huius rei, quã de agimus, locupletiſsimi teſtes eſtis, qui eum per multos annos euãgelium, & Chriſti gratiam magno animarum fructu docentem, & prædicantem audiuiſtis, cum ea gratia, & eloquentia in eo erat, vt non ipſe, ſed in eo Chriſtus concionari videretur; itaque eius vox multis ſalutem dedit, multos in viam reuocauit. Sed quod nam clarius doctrinę, & eloquētiæ illius teſtimonium afferre poſſum, quàm quod is teſtatum reliquit, cum ad ſacroſanctam Tridentinam ſynodum prius quam ad hũc Archiepiſcopatus gradum perueniret, profectus eſt? vbi in doctiſsimorũ theologorum, & Epiſcoporum cœtu, in illo orbis terræ ſanctiſsimo, grauiſsimoque Ciuitatum, nationũ, prouinciarum, principum & Regum conſilio, & totius Chriſtianę reip. Theatro celebritate refertiſsimo, magnitudine ampliſsimo, iudicio erudiſsimo, & natura ita reſonanti, vt in vltimas etiam terras, & in cœlum vſque ſignificationes, voceſque relatæ ſint, tam doctè, tam prudenter, tam piè, tam fideliter, tam modeſtè ſe geſsit, & in ſententijs dicendis, & aliorum aut probandis, aut refellendis tam inſignem Abbatem, ac theologum egit, vt eius factis, ac dictis glorientur collegæ, & fratres, lętarentur Catholici, & boni Chriſtiani, gemerent hoſtes & hæretici, & omnes eum non laudarent ſolum, ſed etiam admirarentur. Neſcio igitur quid præcipue in eo celebremus

& extollamus vitæ ne ſanctimoniam, an animi magnitudinem, an ingenij vbertatem, an eloquij facundiam, an doctrinam Chriſtianam & ſalutarem. Hunc profectò virum habuiſſe non modo hæc Ciuitas, & omnis Benedicti familia, ſed vniuerſa Chriſtiana reſp. meritò gloriari poteſt: neque ij tantum, qui nunc ſunt, ſed omnis poſteritas lætabitur, & continenter illius recordatione ſe recreari ſentiet. Et mirabitur quiſquam ſi omnes ordines, omnis ætas, omne genus hominum tanti viri mortem luget. Nam & vrbs ipſa, ipſi denique parietes, ſi loqui poſſent, hoc dicerent: Lugebimus Ciuitatis ornamentũ, ſtudiorum decus, muſarum delicias, religionis lumen, humanę probitatis exemplar, optimum ouium paſtorem, & huius ſęculi ſplendorem, quod ille mirificè ornabat, ac plurimis, maximiſque virtutibus ſuis illuſtrabat. Lugebimus eum, qui vt ſeruaret, atque augeret exiſtimationem noſtram, nullos vnquam labores, aut pericula recuſauit, qui ſe, fortunaſque & valetudinem ſuam pro mea incolumitate, tranquillitate, otio, concordiaque deuouit, qui commodis ſuis omnibus emolumentis, præmijs prętermiſsis, cura, cogitatione, vigilijs omnibus nihil niſi de ſalute gregis ſui, & bonorum omnium laborauit, qui ſalutem meam ſuæ præpoſuit, quiq; pro me extremos etiam corporis cruciatus, & omnia pericula mortis ſubire paratus fuit. Quis enim pater ea charitate filios, qua hic fratres in Chriſto complexus eſt? quis paſtor de ouibus ſuis, vt hic de populi ſalute, ac dignitate ſolicitus fuit? quis dux pro ijs, quibus præeſſet tot labores ſuſtinuit? tot adijt pericula? quot eum in hac præcipiti ætate, in infirmiſsima valetudine ſuſcepiſſe accepimus, audiuimus, vidimus, vt populus ſibi cõmiſſus tranquillam, & Chriſtianam vitam degeret. Dies profectò citius me quàm oratio deficiet, ſi & in hoc ampliſsimo dignitatis gradu, & in alijs, quibus ſuperioribus annis præfunctus eſt, omnes res ab eo pręclariſsimè geſtas commemorare velim. Mirari igitur deſinamus, ſi omnes qui adſunt, parentis ſui deſiderium ferre non poſſunt, ſi dolore contabeſcunt, ſi communem reip. calamitatem deplorant. cum eum hac tempeſtate extinctum vident, in qua ſi diutius vixiſſet, prodeſſe illis, & totius Chriſtianę reip. incommodis prudentia ſua mederi magna ex parte potuiſſet: ſingulari enim ſua virtute titubantia fulciret, afflicta recrearet, turbulenta ſedaret, & omnia denique ad tranquillitatem redigerẽt. Verum viri Chriſtianiſsimi, oportet æquo animo ea ferre, quę Deo placuerunt: neque tantum dolere debemus, quòd eo careamus, quantum lętari quòd habuerimus neque enim decet illius vicem flere, qui cum eam gloriam conſecutus erat, quæ non amplius Mundo capi poſſe videretur. ex his ærumnis felix exceſſerit, & veræ, ſolidaque gloriæ quod virtutis eſt præmium, gradibus in cœlum aſcẽderit, & non Deo gratias agere, quod

diu

diu nobis frui licuit: Ingrati enim eſſet finem beneficij damnum putare, aut eum, qui dedit, repetendi arbitrio ſpoliarũ velle ſed ęquius eſt de collato in nos beneficio, quàm de morte cogitare, & lucrum putare, quòd acceperimus, non damnum quod reddiderimus: alacres enim & lubentes depoſita, & fidei noſtræ commiſſa repetenti, reſtituere debemus, ac firmiter credere Deo notiora multò eſſe, quàm nobis ea, quę conducunt, & ipſum melius multò cognoſcere tempus reuocandi ad ſe ea, quę nobis fruẽda dederat: vita enim nulli, vt poetæ verbis vtar, mancipio datur, ſed omnibus vſu. Præterea gaudere debemus Chryſoſtomum deuicto ſenſu, & appetitu ad coronã pro victoria accipiendam ad Deum conceſsiſſe: victores enim nõ luctus ſequitur, ſed gloria, plauſus, triũphus. Victoriam porrò veram tulit, qui ſe ipſum, quæ omnium victoriarum præclariſsima eſt, vicit, & cupiditatibus omnibus, quibus cæteri ſeruiunt, non ſolum imperauit, ſed penitus etiam eas domuit: & perpetuo contra domeſticum hoſtem carnem ſcilicet certauerit, eumque proſtrauerit, caducos honores, & mundi gloriam ſpernendo, vigilijs, ieiunijs, orationibus corpus affligendo, ipſumque animo mancipando. Itaque nunc non eſt nobis ablatus, ſed in cœlum ſublatus, vt ibi victor duplici corona decoretur, & in beatorum numero collocatus venerandus, à nobis, & colendus ſit: cum enim fides ſit ſalutis noſtrę tanquã fundamentum, ea ſanè cum ſpe, & charitate coniuncta perfecti edificij ſpeciem referet; cumque in eo perfecta fides, firmiſsima ſpes, abſoluta charitas ſemper fuerit, putare poſſumus ipſum integrum ædificium diuinis illis virtutibus, ſibi in cœlo extruxiſſe: ibique nunc in domicilio quietis, atque in ędibus lætitiæ, & veræ tranquillitatis collocatum eſſe. Sed facilius luctum deponetis, ſi cogitabitis Chryſoſtomũ è cœlo ſqualorẽ veſtrũ intueri, & hac oratione vos humaniſsimè, vt ſolebat, admonere, atq; adeo accuſare. Quid eſt, ſuauiſſimi fratres, & filij, qđ immutatio mea vos tãtopere cõmoueat? cogitate quęſo ea me amiſiſſe, quæ nunq̃ expetiuerã: accepiſſe aũt ea, q̃ ſemper ſpectauerã: ego.n.q̃diu animus in cuſtodia corporis retinẽduſfuit, nihil vnq̃ aliud cogitaui, nihil propoſitũ habui, niſi vt Chriſto militarẽ: pro Chriſto patriam contempſi, parentum blandicias neglexi, honorem ſummum exiſtimaui ab hominibus inſipiẽs iudicari: vt apud ſeruato rem meum prudens eſſem: vitam eſſe ſtatui à corpore morti obnoxio liberari. Nunc Dei optimi Maximi liberalitate, in patriã quę verè patria eſt, perueni, parentis totius humani generis veram erga me charitatem re ipſa ſentio; fruor Chriſto, in quo diuitię, & theſauri omnes ſapientię Dei abſconditi mihi nunc elucеſcunt. Vitam viuo, quę verè vita eſt, in qua mors amplius dominari non poterit. Quid eſt, filij chariſsimi quod hoc nomine queri poſsitis? nolite

quæſo obliuiſci vos Chriſtianos eſſe, ad quos attinet ſuorum perpetuæ felicitati gratulari,& ei gratias agere,qui non laboribus noſtris non vigilijs,non precibus,ſed ſola ſua miſericordia nos in filios adoptauit. Paſtorem amiſiſtis;verum paſtor ille verus,qui animam ſuã poſuit pro ouibus ſuis,qui vobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſæculi,non committet, vt vos diutius paſtore careatis:patre orbati eſtis;verum pater veſter cœleſtis nõ diu vos orphanos derelinquet. Principem deſideratis,verum princeps pacis, pater futuri ſeculi vos reget,vos fouebit, ac neminem ex vobis perire patietur. Quamobrem hortor vos,vt ſi memores,ſi grati,ſi pij, ſi denique mei amantes exiſtimari velitis,finem lugendi faciatis, & pro me Deo gratias agentes in mutua charitate,quam à me accepiſtis,quam diutiſsimè perſeueretis. Cum hæc vos ipſe Chryſoſtomus ex diuinis illis ſedibus roget,nefas eſſet ei non parere. Dixi.

ORATIO

FRANCISCI SERDONATI FLORENTINI

HABITA RHACVSII IN ADVENTV Vincentij Portici Lucenſis Noui Archiepiſcopi.

MAGNVM opus, & arduum omni tẽpore mihi fuiſſet, Reuerẽd.ſs. Antiſtes, Illuſtriſſime Princeps, patres ampliſsimi, & vos omnes auditores nobiliſsimi, inconcionem aſcendere, & publicè ex hoc honeſtiſsimo loco verba facere. Sed nunc multa ſimul præcipue concurrunt, quæ me aliqua ex parte perturbant, efficiuntque vt id vires meas lõgo interuallo ſuperet, loci huius dignitas, & amplitudo; conſpectus, præſentiaque illuſtriſsimorum virorum, prudẽtiſsimorum patrum, & magiſtratuum corona: tam magnus, & honeſtus omnium ordinum hominum, qui huc ſpectandi & audiendi cauſa acceſserunt, concurſus: quæ omnia magnam vim ad deterrendum habent. Sed quod multò hoc onus laboris, atque officij grauius reddit, eſt argumentum nouum, & inſolita dicendi ratio: dicendum eſt enim de ſacratiſsimis nuptijs dignitatis, & concordiæ plenis, de congreſſu inquam tuo Reuerendiſsime Antiſtes, cum hac Eccleſia, quæ eſt tua ſponſa, & de primo tuo ad nos aduentu, qui tam immenſam lætitiam, & alacritatem omnibus attulit. In quo cum mihi de tuarum virtutum, necnon etiam huius Ciuitatis laudum præſtantia neceſſario agendum ſit, video quantum id facultatem meam ſuperet, ſpemque dignè efficiendi imminuat: cum enim illæ tales ſint, vt antiquorum virorum, atque ad eo heroum virtutem ſine controuerſia aſſequantur & æquent, dignæ eſſent profectò, quę admirabili illa facundia celebrarentur, & glorię ſempiternę commendarentur, qua præſtantiſsimorum virorum facta ab

anti-

antiquis illis oratoribus ad cœlum ſublata ſunt. Nobis autem hoc tempore, qui rebus abundamus: vt oratio nullo pacto deeſſe poſſit, deſunt ornatæ ſententię, & appoſita, grauiaque verba, quibus eas explicare poſsimus: itaque longe ſecus mihi euenit, atq; alijs contingere ſolet. Laborant enim alii plerunque dum quęrũt quid in earum rerum, quas celebrandas ſuſcipiunt, laudatione dicant, & argumenti inopia ſępiùs eos torquet, ac male habet: mihi verò non tam copia, quàm modus in dicendo quærendus eſt, tot, tantiſque rebus mihi ſeſe ſimul offerentibus, vt mens hebeſcat, animus concidat, oculi terreantur, lingua hæreat, & denique omnis ſenſus langueat. Sed poſteaquam hoc munus mihi ab iis, quorum auctoritas magni apud me ponderis ſemper fuit, mandatum eſt, & laus, gloriaque veſtra huic periculo expoſita eſt, ne lingua mea parum exercitata obſcuretur (ſi tamen cujuſpiam verba obſcurare, aut etiam illuſtrare illam, quæ per ſe clariſsima ſit, poſſunt) dabo operam, vt hanc prouinciam quomodocũque poſſum ſuſtineam, quo vos iudicetis me, ſi non, vt decebat, illuſtres veſtras laudes celebraſſe, nominis certè & gloriæ veſtræ ſtudioſiſsimum fuiſſe, adnitarque efficere, vt ſiue dignitas, & virtus ſacri paſtoris, ſiue pudor, & obſeruantia gregis ſpectetur, omnes facile perſpicere poſsint hunc diem meritò huic Ciuitati tantam hilaritatem, ac tantam voluptatem, quantam vix vnquam antea percepit, attuliſſe. Iam nunc igitur in cauſam ingrediar, & ne vobis moleſtus ſim, breuiter totã rem perſtringam. Nihil in vniuerſa rerum omnium natura melius, nihil ſanctius, nihil præſtantius, nihil, quod ſit hoĩs magis propriũ, & huic animali omnium nobiliſsimo conducibilius inueniri poteſt, quam religio: itaque nulla vnquam fuit omnibus in terris gẽs tam fera, tam barbara tam immanis, tam legum, & morum expers, quę ſi non veram, & probabilem: at aliquam ſaltem ſibi religionẽ non finxerit. Veruntamen vna hęc, quam Chriſtiana pietas colit, & amplectitur, ſine controuerſia eſt longe veriſsima, & ſanctiſsima, & ſola eſt auguſto religionis nomine digna, quam Ieſus Chriſtus immortalis Dei filius generis humani ſeruator, ac liberator veriſsimus auctor, vel ipſa veritas potius docuit, conſtituit, ſanxit, pièque colendam tradidit: hæc doctrina ſaluberrima falſos, ac fallaces Deo reiicit, & noxias hominum, ac flagitioſas cupiditates diuina auctoritate deteſtatur, & damnat: per hanc verè diuinus cultus Deo exhibetur, & honores, vota, ſacrificia, preces adhibentur: ſine ea nihil probum, nihil purum, nihil ſanctum, nihil pium, nihil egregium fieri, aut excogitari poteſt. Huius igitur religionis hi patres ampliſsimi ſemper ſtudio ardentiſsimo flagrarunt, ob eamq; cauſam ſemper laborarunt, atque adnixi ſunt, vt eorum Archiepiſcopi,

ſcopi, qui in hac Ciuitate rerum diuinarum duces, & Antiſtites eſſent, & ſtata, ſolemniaque ſacra ritè monſtrarent, & facerent, quiq; omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent, ritè pertractarent, & pietate in Deum, & amore in gregem, & ſtudio erga Chriſtianam religionem eminerent, & excellerent. Sciebant enim ab hoc capite omnem rationem humanorum bonorum fluere; idque meritò: Neque enim nos Chriſtiani quicquam dubitare debemus de felicitate, & ſalute noſtra, cùm nobis, qui & optimi ſunt, & ſapientes, præſunt: quando Plato de ſuis Ethnicis hoc tantum boni ſperauerit, qui prædicauit tunc beatum ſore genus humanum, cum aut ſapientes regerent, aut reges ſapere inciperent. Quod quidem egregie expreſsit poeta cum cecinit.

Componitur orbis.
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus.
Humanos edicta valent, vt vita regentis.

Quare cum ſuperioribus menſibus Chryſoſtomus Caluinus eorum Archiepiſcopus ſenex optimus & omni honore dignißimus diem ſuum obijſſet ipſi paſtore ſpoliati prece, & humili obſecratione vſi Deum orarunt, vt eum præſulem ipſis daret, qui ad tantum munus obeundum, & ad Eccleſiam hanc regendam, & ſarctam tectam conſeruandam aptus eſſet; & pro ea fide, religione, obſequio, pietate, obſeruantiaque, qua erga Petri ſedem ſemper vſa eſt hęc Ciuitas ad ſanctiſsimum patrem Gregorium xiij. Pontificem Maximum, & Chriſti Vicarium miſit, & patre orba eius fidem tanquam legitimi tutoris, & communis omnium patris implorauit, vt is, qui diuino numine regitur, & incredibili prudentia, & manſuetudine orbem terrarum moderatur, eum deligeret, quem tanto honore dignum iudicaret, & cum primum audiuit te potiſsimum Vincenti Portico ad hoc ſacratiſsimum ſacerdotium, & ampliſsimum dignitatis gradum eſſe delatum, ſtatim incredibilem quandam, & penè diuinam lætitiæ voluptatem cepit, & in ſpem maximam, & quemadmodum cõfido veriſsimã adducta eſt, fore, vt te hoc ſacerdotiũ adminiſtrãte homines diuinę religionis rationem caſtiſsimè colerent, pleniſsimaſque pietatis cerimonias ſanctiſsimè tuerentur. Deumque ſemper pura, integra, incorrupta mente, & voce ita venerarentur, & precibus placarent, vt eius numine, atque auxilio hæc ciuitas & ornamenta dignitatis, & prædia ſtabilitatis facile ſeruaret, & denique omnia ſibi ſecunda contingerent, ſuarumque omnium fortunarum ſtatus incolumis maneret. Tanta enim, & tam conſtans fama de iuſtitia, temperantia, prudentia, manſuetudine, humanitate, pietate tua emanauit, vt ſibi omnia te præſule fauſta, ac felicia pollicecantur Sed quam meritò tanta ſpes hominibus iniecta ſit, melius patebit,

fide

de tuis rebus breuiter ab initio dixero. Tu igitur (parcat mihi modeſtia tua Reuerendiſsime Antiſtes in tuas laudes ingredienti, etſi enim aures tuæ id auerſantur, neque audire volunt, virtutes tamen id requirunt, & ij, qui adſunt, aliquo pacto flagitant, quod eò libentius faciam, quo ſcio me nihil dicturum, quod non ab omnibus veriſſimum eſſe cognoſcatur: magis enim verendum eſt, ne vera laus tibi oratione mea detracta, quàm falſa affićta eſſe videatur) tu igitur, inquam, ampliſsima, honeſtiſsimaque Porticorum familia in Vrbe clariſsima Lucenſi natus patrem habuiſti Hieronymum Porticum magnæ glorię, multique nominis virum. Nam neque foris ferè quiſquam apud Lucenſes ea tempeſtate, qua tamen multi clari, atque illuſtres omnibus artibus apud eos extiterunt: neque domi maior quiſquam fuit, quique amplioribus honoribus, & ſæpius fungeretur quemq; ſui ciues, populique æque atque illũ colerent, & obſeruarẽt. Is cum prudentia, iuſtitia, temperantia, ſanctitate, animi magnitudine pręſtaret, cognoſcebat educationem in puerili ætate plurimum poſſe, eamque inſita à natura ſemina multum adiuuare, ideoque te vix infantię annos egreſſum bonis moribus, bonis artibus erudiendum, informandumque doctiſsimis, ac ſanctiſsimis viris tradidit. Tuque vt patris præceptis pareres, & naturę, quæ te ad ſummam virtutem vocabat, obtemperares, eos colebas, eos audiebas, eis operã dabas, credebas illis, ad illos reſpiciebas, illos imitabaris, & nunquã te à ſtudijs litterarum abducebas niſi iuſſus, aut vt animum aliquantulum relaxares, & firmiorẽ poſtea ad ſtudia referres. Erat in te ingenij mira quædam alacritas, & celeritas in percipiendo, in ijs verò, quę percepiſſes, memoria retinendis vis admirabilis: itaque cum optimis moribus imbutus Latini, Gręcique ſermonis peritiam, atque vſum abundè, cumulatèque conſecutus eſſes, vt imperij adminiſtrandi, & rerum gerendarum, populorumque regendorum ſcientiam perciperes, & conſequereris, è Ludo, atque inſtitutione peritię ad celeberrimum Bononienſe gymnaſium profectus es, ibique iuriſperitis doctiſsimis præceptoribus; quibus illa vrbs ſemper abundauit, diligentiſsime operam per quinquennium dediſti: quo factum eſt, vt nihil in ea facultate diſci, ſcirive poſsit, quod tu non inueſtigaris, & perceperis. Ineunte deinde adoleſcentia te Ferrariam vrbem eruditiſsimis hominibus, liberaliſsimiſque ſtudijs affluentem contuliſti, ibique cum annum poſuiſſes inſignia iuriſconſulti à viris prudentiſsimis, & omnium diſciplina iuris ciuilis eruditiſsimis, ac ſeueriſſimo illo collegio accepiſti: & in patriam reuerſus adoleſcentiam, quam alijs diſcendo conſumunt, non iam alienis pręceptis, ſed tuo periculo, non legendis tantum, ſed agendis, explicandis, ac defendẽdis cauſis traduxiſti, & cum cognoſceres virtutis laudem in actio

ne

ne conſiſtere,& nihil eſſe præclarius,quàm communi vtilitati ſerui-
re,ad agendum re contuliſti:teque iuſtitię, honeſtatis,dignitatis,ve
ritatis,ęqui bonique patronum profeſſus prouinciam ſolicitudinis,
ac laboris plenam reſpondendi, ſcribendi, cauendi ſecutus es,& vt
tuum laborem hominum periculis ſubleuandis impertires, multo-
rumque controuerſias,cauſaſque tuereris,multum vigilaſti,labora-
ſti, præſto multis fuiſti, curaſtique vt tui fontes omnibus paterent:
dum in amicorum negocijs præter eximiam ſcientiam magnam fi-
dem, & diligentiam; tum animi vim,libertatemque dicendi adhi-
bes:dum veri iuris,germanęque iuſtitiæ ſolidam, & expreſſam effi-
giem tenes,vmbras,& imagines reijcis:& controuerſias potius tol-
lere,quam litium actiones conſtituere ſtudes. Quod ſanè ſtudium
nobiliſsimum,& honeſtiſsimum ſemper habitum eſt,& à magnis,&
excellentibus viris cultum fuit,& admirabilem dignitatem,& per-
gratam vtilitatem habet:totque ac tanta præmia ei propoſita ſunt,
vt in eo ad ſummos,& ampliſsimos honores adipiſcendos proxima
& quaſi compendiaria via omnibus ſeculis,munita fuerit;& multos
legimus apud antiquos, & noſtra etiam memoria non paucos vidi-
mus ob hanc vnam facultatem ad ſummos honorum gradus perue-
niſſe.Tuus igitur labor in hoc ſtudio caſtè integrèq; verſatus ex om
nium hominum iudicio fructum eſt ampliſsimum conſecutus,tan-
tamque laudem ex eo tibi paraſti, vt nulla grauior cauſa ageretur,
quæ non continuo ad te deferretur, domuſque tua tanta quotidie ci
uium frequentia, & ſummorum hominum ſplendore celebraretur,
vt totius Ciuitatis oraculum videretur:& admirabilis ac penè diui
nę tuæ in legibus interpretandis,& explicandis ſcientiæ fama, ita
percrebreſceret, vt aduenæ etiam multi ad te conſulendi cauſa acce
derent. Quid quòd celeberrimi quique noſtri ſæculi iuriſperiti, vt
Socinus, Aldobrandinus,Alciatus, Ronchegallus & alij ſummi viri
honorificam tui mentionem in ſuis ſcriptis fecerunt,& auctoritate,
ac teſtimonio tuo ſuas opiniones comprobare conati ſunt? Verum
tu iuris ſcientia penitus percepta, optimoque inſtrumento tractan-
darum humanarum rerum comparato, & ſi te ad eius experientiam
excitaſſes, omniaque optimè proceſsiſſent, tamen ad curiam, con-
trouerſiaſque dijudicandas præcipue propenſus eras:itaque is tan-
dem & naturę largæ in te ſuorum munerum benignitate, & honeſta
rum artium ſtudio,& aſsiduo vſu,atque exercitatione rerum maxi-
marum euaſiſti, vt nihil in re deſiderari ad ſumma omnia perſicien-
da poſſe videretur,ſed perfectus vndique atque omni virtute cumu-
latus intelligereris. Quare &.Lucæ in patria tua nobiliſsima iuuenis
adhuc omnes honores,ac magiſtratus,& illos etiam,qui ſenibus tá-
tum mandari ſolent domi, & foris conſecutus es, integerrimeque

geſsiſti,& ampliſsima,& maxima negocia ſumma omnium volunta te confeciſti,& in rep.deniq; ita verſatus es,vt per multos annos nihil in ea factum,nihil tractatum,nihil conſtitutum, nihil decretum ſit:nullum graue, aut magnum negocium geſtum, cui non interfueris, vel prefueris, & meliorem in eo ſententiam non & prudentia excogitaris,& voce pronunciaris:vtque exiſtimationem,dignitatéque eius tuereris,& augeres multos Principes orator adire,& ad plures populos,diuerſasque regiones longè,lateq; diſperſas poſt habita tuę vtilitatis, aut ſalutis neglecta ratione penetrare nó dubitaſti, & ſæpius clauum totius imperij tenuiſti,& gubernacula reip.optimè tractaſti. Verum poſtea ad longè diuerſum vitę genus,& ad Romanę Eccleſię negocia tractanda translatus maiora cogitare cœpiſti. Romam enim Orator à patria tua nobiliſsima miſſus es,quo tempore Pius Quartus Pontifex Max. vir cum omnium rerum ſcientia,tū perpendendis hominibus planè mirus cognita in eo munere ingenii tui præſtantia, & tractandarum rerum vſu cum ei opus eſſet,prudenti viro,& tui ſimili ad ſeditiones, diſcordiaſque maximas inter Vrbeuetanos factas,& conflatas ſedandas,& partes inter ſe reconciliandas, petiit à Senatu Lucenſi, vt alium oratorem ad ſe mitteret, teque ſibi quaſi de manu in manum traderet. Quod cum factum eſſet,Pontifex primum te honorificentiſſimo dignitatis gradu, quem Protonotariatum Apoſtolicum vocant, ornauit;deinde illi Vrbi ad eius diſſenſiones reprimendas præpoſuit. Tu verò ſuſcepta prouincia breui ſpem,& expectationem, quam de te maximam concitaueras,viciſti:ita enim res omnes expediſti,& in tranquillitate collocaſti,& partes in tantam cōcordiā reduxiſti,vt non ſolum à Pio Quarto Pontifice, & vniuerſo patrum collegio gratiam inieris, ſed prouinciales etiam maximis beneficii vinculis tibi obſtrinxeris,vt maximam erga te beneuolentiam omnes oſtenderint,& tuum illinc diſceſſum non ſicut præfecti tantum, ſed vt patris doluerint:teque de prouincia decedentem ſumma laus, & ſumma gratia prouincię conſecuta ſit. Itaque Pontifex deinde non deſtitit te quoad vixit quotidie magis ac magis ornare, & nouos honores,ac magiſtratus deinceps ad te deferre. Anconitanæ namque vrbi nobiliſsimę, & omni ſuę prouincię te præfecit: cui per triennium cum tua ſumma laude præfuiſti,& vniuerſum illud munus ſumma iuſtitia,modeſtia,& abſtinentia traduxiſti, & prouinciales omnes incredibili quadam benignitate, ac manſuetudine tibi in perpetuum deuinxiſti.Cum prudentiæ,probitatiſque tuæ fama maior in dies fieret,tuque ampliori honore dignus ab omnibus iudicareris ad Maceratam vrbem regēdam, & vniuerſum Picenum gubernandum delectus es; & vt maior honos tibi tribueretur; placuit Pontifici,vt idem cum Maceratenſi

qua-

quatuor etiam diœceſes Anconitanam, Firmanam, Nurſinam & Aſculanam,quæ ſeparatæ prouinciæ ſunt, obtineres:eſſetque tibi in illis prouincijs maius imperium, quàm ipſis earum præfectis,cum ijs,qui eorum iudicato ſtare, & acquieſcere nollent, aut aliquo pacto ſe iniuſtè tractatos arbitrarentur ad te,qui eorum quærelas audires,& eorum omnia negocia tum iure,& poteſtate,tum etiam auctoritate,& conſilio tuo explicares & expedires, confugere liceret. In ea tu prouincia ſummam laudem conſecutus es,vt & à Pontifice, & vniuerſo Cardinalium collegio Præſes optimus iudicatus fueris, ijs etiam,quibus cum poteſtate præeras optimè ſatisfeceris:reliqui ſti enim gratam tuæ virtutis memoriam,quam omnes libenter retinent,& conſeruant,& quia intelligunt ſe referenda tibi gratia ſatiſfacere non poſſe, habenda & prædicanda ſatisfacere conantur:omnes enim vno ore teſtantur te eum fuiſſe, ad quem aditus omnibus pateret, qui veram in iure dicendo æquabilitatem, & conſtantiam adhibres:cui eſſet iuſtitiæ,pietatis,religionis,ac lenitatis antiquiſſima cura:cuius & poteſtas timeretur, cum omnia poſſes,& bonitas diligeretur,cum idem non plus licere tibi velles,quam quantum leges permitterent:tuis inſtitutis ſe recreatos,& acerbiſsimis ex actionibus,&maximis ſumptibus liberatos fatentur:vniuerſamque prouinciam tuo conſilio ita gubernatam affirmant vt ijs,qui deinceps ad eam regendam venerint inſtituta tua laudare, quàm æmulari facilius fuerit. Mortuo interim Pio Quarto cum vniuerſa Chriſtiana reſp.pluribus iam vulneribus confecta moleſtis, operoſiſque negocijs implicata eſſet,grauiaque pericula ipſi impenderent,in eam opinionem pij, & publici boni ſtudioſi homines nonnullis argumentis adducti ſunt fore,vt Philippus Hiſpaniarum Rex, qui vnus probitate,quæ illi natura; & ſtudio eſt inſita, & prudentia ſingulari, quam multarum rerum vſu ſibi comparauit, & opibus,ac potentia, quam Dei dono à maioribus hæreditario iure accepit, & auctoritate ſua, in qua plurimæ partes Chriſtianę tranquillitatis inſunt, & vulnera ſanare,& negocia expedire,& pericula propulſare à Chriſtianis facile poterat,in Italiam,quod omnes boni ſummopere optabant,veniret. Pius Quintus itaque Pontifex Max. in Quarti iam locum ſuffectus, vir planè ſanctiſsimus,& de Chriſtiana rep.ad quam augendā, & amplificandam omnia ſua conſilia,cogitationeſque referebat,optime meritus te Romam euocauit eo animo, vt ad potentiſsimum illum & verè Catholicum Regem te Nuntium mitteret,vt in eius aula degeres,eius comitatum honeſtares, & in ipſius quaſi conſpectu aſtans Pontificis nomine Chriſtianorum rationes procurares. Sed cum Rex aliis negociis, vt creditum eſt, impeditus iter illud facere non potuiſſet, Pontifex certior factus hæreticorum peſtem in Sar-

matia, quæ nunc Polonia dicitur, radices altius egiſſe, & quotidie ſatius ſerpere, vt eam extirparet, ac funditus, ſi fieri poſſet, tolleret, te Nuntium eò cum auctoritate Legati, miſit, quę quidem poteſtas non temerè niſi Cardinalibus committi ſolet, & eodem itinere maximis etiam de rebus mandata ad Maximilianum Cæſarem Auguſtiſsimũ tibi dedit, q̃ quidẽ oĩa cõfeciſti, & in Polonia deinde nactus locũ, vbi latius ingeniũ, & virtus ſe diffunderet tua, dũ res dignas tua virtute, & ea expectatione, quã oẽs de te cõceperãt, gereres, dignitatẽ, in qua optimi Põtificis ſapiẽtiſsimo iudicio collocatus fueras, auxiſti: maxima.n. pericula, ſummos labores, grauiſsimas cõtentiones ſuſcepiſti, re, non verbis quid oporteat à præſtantiſsimis viris in rep. Chriſtiana adminiſtranda fieri, docuiſti: vitam tuam non ſemel in diſcrimen pro Eccleſię dignitate obtuliſti, præſtantiſsimas ſentẽtias liberè ſemper dixiſti, nefarios improborum conatus virtute, impetum auctoritate ſedaſti, fortiſsimo animo & in priuatis locis, & in publicis optimatum conuentibus clamorem hęreticorum contempſiſti: dux auctor, actor multarum rerum, quæ ad Eccleſiæ Catholicæ amplitudinem illuſtrandam, ad iura ſuæ poteſtatis retinenda, & recuperanda, & ad aduerſariorum vires debilitandas, & obtrectatorum calumnias coercendas pertinent, fuiſti. vt Rex ipſe Sigiſmundus, qui maleuolorum quorundam oratione inductus, quod ad religionem attinet, vitam penè deuiam ſecutus fuerat, ad priſtinum ſuũ erga Eccleſiam animum reuerteretur, perfeciſti, & vt multi prętereà Principes, ac Senatorii ordinis viri malis ſuaſoribus repudiatis, & hæreſi, in qua erant, abiurata, & relicta errorem pœnitendo corrigerent, & ad verã & Catholicam fidem, & ad Eccleſiæ Romanæ auctoritatem reuerterentur, & ſua omnia Apoſtolicæ ſedis, & ſummi Pontificis poteſtati ſubiicerent, effeciſti; & magnitudine, a ſuauitate ingenii tui magnam hominum vim ad verum Dei cultum traduxiſti, & impiorum hęreſi tandem ſublata, immaniſsima, ac fœdiſsima mõſtra, tanquam alter Hercules, tua induſtria, diligentia, pietate, ac doctrina viciſti, & proſtraſti, & nobiliſsimo Regi, Florentiſsimoque regno in magnis tenebris erroris & inſcitiæ clariſsimum lumen prætuliſti; & veram ſalutis viam monſtraſti, & muniſti, & iis quaſi cœleſtis patriæ poſſeſsionem reſtituiſti. Quinimmo ipſum Regem, cuius ſalutem à Pontifice commendatam habebas, præſentibus hæreticorum, & maleuolorum inſidiis non ſeeml liberaſti, neque ſolum ei ſaluti fuiſti, ſed curaſti etiam, vt omni auctoritate aulæ communita regnum cum dignitate obtineret. Itaque ſummus Pontifex cum pro ſua prudentia ſentiret, ac videret, quos fructus Romana Eccleſia, & vniuerſa Chriſtiana reſp. ex tua pietate, & laboribus cepiſſet: ita virtutem, & induſtriam tuam, & opera, quæ ab ea profecta ſunt, probauit,

nit,vel potius admiratus eſt, vt nō dubitarit de tuis rebus & in Chriſtianam remp. meritis agens hæc verba pronunciare. Non in donatus abibit. Quod ſi diutius vixiſſet, digno te prçmio affeciſſet, & in eo loco virtutem tuam collocaſſet, vnde præclarum eius lumen ab omnibus conſpici, & quàm plurimis ſplendore ſuo lucere ad veræ religionis pietatem, & decus poſſet. Quemadmodum enim nihil prætermiſerat erga te, quod poſitum eſſet in honore verborum, ita etiã nihil præterijſſet quod in præmio virtutis poſitum eſſet. Sed quominus ea, quæ de te ornando cogitabat perficeret, in cauſa fuit mors, quę paulo poſt virum illum diuinum conſecutą eſt, bonis omnibus luctuoſa, acerba Chriſtianæ reip. quæ illius virtute, & conſilio fore ſperabat, vt omnes malorum moles; quibus vndique cincta erat, à ſe depelleret, ſuaſq; fortunas augeret, & exaggeraret, & verum ex immaniſsimis hoſtibus triumphum, ad quem maxima eorum internecione aditum ſibi iam patefecerat, reportaret, ac, tanta in eo vno bene gerendæ rei ſpes conſtituta erat, omnibus periculis liberata, vt Eccleſiaſtici imperij, & verę religionis fines non terræ, ſed cœli regionibus terminaret. Sed vt illuc vnde digreſſa eſt oratio redeat, cũ interim Rex Sigiſmundus mortuus eſſet, tuque ob id intelligeres aliquorum optimatum animos, & hæreticorum pręſertim eſſe nouarũ rerum expectatione ſuſpenſos, & in magna ſententiarum varietate, & opinionum diſsimilitudine cum alij aliò rem transferrent, ſummum eſſe periculum ne proximis regijs comitijs cum magno Chriſtianę reip. detrimento regnum illud ad hęreticum aliquem deferretur, quod ij, qui male de religione ſentiebant, valde optabant, & vt fieret pro ſuis viribus, atque opibus contendebant, audacter iis obuiam iuiſti, & conceſſa quorundam licentia, & contuſa audacia conſilia eorum fregiſti, & motus, conatuſque omnes prohibuiſti, & magnitudine conſilii, prudentiaque humani, ac diuini iuris omnem ipſorum impetum eluſiſti, & contra omnia pericula, omnes tumultus, omnes calumnias firmiſsimum pręſidium virtutis oppoſuiſti, & quantum conſilio prouidere, authoritate mouere poteras, hoc omne ad id contuliſti, vt eos, qui aliter ſentirent admonitione reprimeres, & qui dubitarent, hortatione impelleres, vt id, quod optimum eſſet, ſequerentur: itaque armis prudentiæ, & continentię, & innocẽtię, & integritatis ea conſecutus es, quæ nullis copiis, nullis opibus, nullis viribus conſequi potuiſſes, vt ex alieniſsimis ſociis amiciſsimos, ex infideliſsimis firmiſsimos redderes, & omnes in officio contineres, omnium voluntatem ad veteris imperii ſtudium reuocares. Quid multa? tam ſcitè grauem illam, & ferè diuinam perſonam per ſexennium ſuſtinuiſti, & tam ſapienter munus illud tenuiſti, vt & ipſemet Rex Sigiſmundus quoad vixit, ita te amarit, & in tanto hono

te habuerit, vt omnia ſua & priuata, & publica negotia libentius te cum, quàm cum ſuis communicaret, & plurima de conſilio tuo faceret, & eius ſoror Anna Iagellona, quod minime ſilentio prętereũ dum duxi, lectiſsima, & prudentiſsima fœmina, & veræ pietatis ſtudioſiſsima, & eximia quaque virtute prædita te & pręſentem maximè coluerit, & abſentem adhuc vehementer obſeruet; crebroque quod in tam nobili & Clara muliere magnum eſt beneuolentiæ ſignum & per litteras & per nuncios de ſuis rebus certiorem faciat, & libenter admodum à te conſilium petat, & quod inſtar omnium eſt Roma & vniuerſa Eccleſia te laudet, bene geſtę reip. teſtimoniũ det, & continenter prædicet ſibi per te ornamenta ſua reddita eſſe, & auctoritatem ſeruatam, & Chriſtianę reip. ſplendorem auctum, & Sedi Apoſtolicæ priſtinum decus, quod impij homines, & ſceleſti tollere conabantur, & in illis locis iam imminuerant, magna ex parte reſtitutum fateatur. Pio Quinto iam vita defuncto ſucceſsit in Põtificatu ſumma cum omnium gentium, ac populorum approbatione, & Dei pręcipue nutu Gregorius xiii. de quo omnes eadem ſentiunt, & exiſtimant, in eius ſcilicet virtute, probitate, prudentia, conſilio tantum Chriſtianis rebus præſidij poſitum eſſe, vt in ſpem venerint fore, vt is potiſsimum Chriſtianam remp. conſeruet non ſolum calamitate, ſed etiam calamitatis formidine liberatam, & Eccleſiæ Dei dignitatem, ſalutem in omnibus gentibus conſtituat; qui itidẽ cum te omni honore dignum exiſtimaret, ac de tuis ornamentis & commodis cogitaret, te Romam reuocauit, & ampliſsimum ſacerdotium, quod Decanatum vocant, in patria tua tibi dedit; & cum videret, ac ſentiret te vnum eſſe, in quo ſumma eſſent omnia, in animo etiam habuit te vrbi Romæ regendę præficere. Sed cum interim hic ſanctiſsimus Senatus ab eo paſtorem petijſſet, ea liberalitate in hãc Ciuitatem vſus eſt, vt Romam orbis terrarum lumen, & vniuerſę Chriſtianæ reip. domicilium procuratione tua priuaret, & ad Eccleſiam hanc moderandam te mitteret. Cuius quidem Eccleſię tanta eſt dignitas, & amplitudo, vt ſuperioribus temporibus viri ampliſsimi, & omni virtute ſpectatiſsimi eam appetierint, & libenti animo amplexi fuerint. Nam, vt cęteros nobiliſsimos viros, & honoribus, doctrina, grauitate, conſilioque maximè pręſtantes omittam, nuper Ioannes Angelus Medices vir clariſsimus, in quo ſumma ſapientia, eximia virtus, ſingularis humanitas fuit, multis honoribus perfunctus iam Protonotarii Apoſtolici nomine ornatus, Anconitanęque Vrbis, atque prouinciæ præfectus (quibus gradibus tu etiam ad hunc locum veniſti) Archiepiſcopus Rhacuſinus fauſto omine effectus eſt, deinde Cardinalis, & denique ſummo bonorum omnium conſenſu, & approbatione in altiſsimam, & celſiſsimam dignitatis,

atque

atque honoris ſedem delatus eſt,& Pontificatum Pii Quarti nomine adeptus in religione tuenda, & magiſtratu gerēdo incredibilem animi firmitudinem,atque conſtantiam, & diuinam ferè prudentiā præſtitit.Is igitur vir huic Eccleſiæ, quæ tibi nec opinanti mandata eſt,dudum præfuit.Sed quanti illud eſt,quòd tu non ſolum in Cardinalium collegio vna omnium voce Rhacuſinus Archiepiſcopus declaratus es,& auctoritate Pontificis,conſenſione totius collegii,ſummo ſtudio bonorum omnium,cunctis hominibus fauentibus,& Deo comprobante huius Eccleſiæ ſponſus,tantę Ciuitatis,ac reip. prçſul factus es:ſed Pontifex deinde ex cuius ore, cum præſertim de rebus ad Eccleſiam pertinentibus agitur,quicquid exit, inſtinctu afflatuque diuino fundi,& à ſpiritu ſancto profluere putandum eſt,aduocato,Ioanne Gundula huius Senatus Oratore viro clariſsimo, & ampliſsimo dixit te potiſsimum conſtituendum Archiepiſcopum curaſſe,quòd probitatem, pietatem, fidem, & doctrinam tuam,& in prouinciis adminiſtrandis prudentiam cognitam, perſpectamque haberet:teque talem eſſe perſpexiſſet,vt nulla res tanta,ac tam difficilis ſit,quam tu non,& conſilio regere,& integritate tueri, & virtute conficere poſſes, quodque certò ſciret te ita hoc munus adminiſtraturum ,vt nunquam hanc remp. & religioſiſsimum Senatum te Archiepiſcopum nactum eſſe pœnitere poſſet.Prçterea cum ſacri Canones,& ſancta Tridentina ſynodus prçſcribat,vt cum de Epiſcopo creando agitur,primis comitiis de ipſo ad patrum collegium à Cardinale aliquo referatur,& in perſonam,& vitam eius diligentiſsime inquiratur,& per locupletes teſtes an dignus eo dignitatis gradu ſit inueſtigetur,& proximis comitiis de ipſo aut deſignando,aut ab illo ordine repellendo agatur,ſtatuit pro ſua auctoritate ſummus Pōtifex te in hoc præcipuo honore eſſe debere, & noluit à Cardinalibus de te referri,ſed(mirum dictu)ipſemet, cui tu optime notus eſſes,illud munus referendi obiuit, & ſine vlla alia diſquiſitione te Archiepiſcopum eodem die renunciauit. Quæ ſanè res tanta eſt,vt ei vix vlla conferri poſsit. Proditum memoriæ eſt Athenienſes iurare Xenoctatem teſtimonium dicentem prohibuiſſe:& equites Romanos grauiſsimos viros tabulas Metelli Numidici cauſam dicentis, ne de illius fide dubitaſſe viderentur, aſpicere noluiſſe.Sed hoc Pontificis de te iudicium tanto honorificentius eſt,quanto Pontifex Maximus,& ampliſsimum Cardinalium collegium, & Græcos, & Romanos iudices dignitate,auctoritate,prudentia, iudicio,religione antecellit;quanto Chriſtiana Ethnicis,quanto diuina humanis præſtant.Nam ſacroſanctum illud collegium, cuius omnia dicta,facta, conſilia, decreta, mandata in Eccleſiæ Dei dignitate conſeruanda, & augenda,& omnibus hominibus cœleſti medicina ad ſalutem re-

ducendis verſantur, multa noua in te vno contra exempla, & conſuetudines, & dum ad nouos caſus temporum nouorum conſiliorũ rationes accommodat, præter inſtituta maiorum ſumma bonorum omniũ voluntate cõſtituit; & omnes illi ampliſsimi patres egregia tua facta, animumque in remp. ſingularem perſpicientes ſummis te laudibus in publicis & priuatis ſermonibus ad cœlum efferunt, & meritorum tuorum locupletiſsimi prædicatores exiſtunt. Tuarum itaque virtutum, & ab ipſis manantium actionum præſtantiæ præclara teſtimonia, & grauiſsima iudicia extãt: & cum ea ſit vera laus, quæ à laudatis viris proficiſcitur, & multorum conſenſu comprobatur, vt grauiſsimi auctores memoriæ prodiderunt, tua profectò ampliſsime præſul, tanta eſt, vt vix maior eſſe aliquo pacto poſsit: in qua deinceps trium ſummorum, & ſanctiſsimorum Pontificum, quorum in eo munere fungendo longe maxima conſilia, & ingenia fuerunt: quorum teſtimonio nihil grauius, nihil firmius, nihil certius eſſe, aut reperiri poteſt, & quorum ſingula verba, ſingula oracula cenſenda ſunt, iudicia, opinioneſque concordarunt: præterquàm quod auguſtiſsimi, & ſacroſancti ſacerdotes Illuſtriſsimi, & religioſiſsimi Principes vno ore in ea conſentiunt, quòd item omnium ſermone celebratur, omnium teſtimonio confirmatur. Neque enim ferè vlla eſt ora tam deſerta, quò non tuæ virtutis fama peruaſerit, nõ illuſtris nominis tui gloria peruagata ſit: non tuorum meritorum in omne genus Chriſtianorum laus peragrarit; omnes homines, omnes exteræ etiam gentes, ac nationes virtutem tuam aut re, & factis aut ſermone, & vocibus aliorum cognitam ſuſpiciunt & admirantur; teque ad præcipuum Chriſtianæ reip. commodum, ſalutem, & ornamentum omnes natum eſſe exiſtimant. Et meritò quidem de te ita ſentiunt, qui nullum periculum tam magnum, nullum laborem tam moleſtum, nullum ſumptum tam immenſum, nullum iter tam longum, & difficile, nullum onus tam graue, nullum negocium tam operoſum eſſe vnquam putaris, quod pro dignitate Romanę Eccleſiæ, & pro incolumitate, & fortunis reip. Chriſtianæ, non ſtudioſe ſuſceperis, libenter ſubieris, conſtanter pertuleris, & amanter, diligenterque confeceris, ita vt per multos iam annos nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxeris; nullá alia mercede pro laboribus, quos pro communi vtilitate, & publico commodo excepiſti, niſi vera, & ſolida gloria propoſita, vtpote qui tibi perſuaſiſſes per ſe honeſtum eſſe, ac laudabile pro communi ſalute, & Chriſtiana religione laborare. Equidem te pro meritis laudare cupio, ſed neque animi mei ſenſus poſſum verbis aſſequi, neque oratione tuas laudes complecti: omnes enim in te ſunt virtutes ſacerdotales, & Pontificię, pietas in Deum, ſanctitas in vita, labor in negotijs, fortitudo in pericu-

his, libertas in dicendo, induſtria in agendo, celeritas in conficien-do, cõſilium in prouidendo: in excipiendo humanitas, in audiendo patientia, in iure dicendo æquitas, in alloquendo benignitas, in re-prehendendo auctoritas, in docendo eruditio, in monendo officiũ, in cohortando vis, in iudicando ſeueritas, in puniendo lenitas, in-nocentia in omnibus rebus: quæ tanta in te vno ſunt, quanta in om-nibus alijs, quos aut vidimus, aut audiuimus vix fuerunt. Et quiſquã dubitet, quin tu nunc in hac Ciuitate magna, & præclara opera vir-tute perfecturus ſis, cum ad optimam, & conſtantiſsimam volunta-tem ſumma vis poteſtatis acceſſerit? Tu enim digniſsime Præſul, ad inſulam & Pontificatum non ſponte veniſti, ſed tanquam alter Aarõ iuſſus, & euocatus, itaque tu, qui nefas eſſe putares vllum etſi arduũ munus à Deo aſsignatum defugere, alacriter prouinciam hanc ſu-ſcepiſti, quod quidem cenſendum eſt non ſine diuino nutu, & æternæ prouidentiæ dono factum, qui voluit vt ei ordini adiunctus eſſes, at-que eo in loco ſita eſſet virtus, & dignitas tua, vbi prudentia, conſi-lio, auctoritate, ſapientia rem Chriſtianam iuuare, & hominum mo res ad veterem religionem, ſanctimoniamq; reuocare poſſes. Quin etiam ſperamus fore, vt maiorem in dies iuuandi generis humani opportunitatem tibi tribuat, & ad altiores gradus, & celſiorem ſe-dem efferat, & ſupra caſus omnes, ſupra fortunam ipſam collocet, & Chriſtianæ reip. gubernaculo magiſtrum adhibeat, vt diſsipatis om nibus procellis, diſcordijs ſublatis, bellis compoſitis rem Chriſtia-nam conſtituas, religionem ex tot incommodis recres, & veram pa-cem, otium tranquillitatem pijs gentibus afferas, & debita iampri-dem ingenuis artibus præmia perſoluas, & eximia tua virtute tem-peſtiuos fructus bonis artibus præbeas. O te felicem, qui tanta iuſti-tia, tanta prudentia, tanta fortitudine, tanta temperantia, tãta pro-bitate ornatus ſis. O te fortunatum, qui toto fere ætatis, ſpatio ma-gnis in rebus domi, foriſque gerendis ſine vlla offenſione decurſo honoratam, & glorioſam adeptus es ſenectutem. O te beatum, cui Dei benignitate, & maxima in te beneuolentia datum eſt, vt vniuer ſum genus humanum plurimis maximiſque beneficijs tibi deuinci-res. Sed nos etiã felices, ac beatos, quibus contigit, vt eiuſmodi dux, eiuſmodi paſtor, & Antiſtes, præeſſet, duceret, paſceret, regeret, gu-bernaret: beatamque hanc religioſiſsimam Ciuitatem, ad cuius tu-telam tantus cuſtos excubabit, & cuius caput tam nobile ſertum ex ornabit, quod ipſi vt imponeret pro ſuo paterno in omnes Chriſtia-nos amore ſibi ferè abſtulit ſanctiſsimus Pontifex, qui diuinas tuas virtutes ſpectans, & pietatem ſuorum hominum animaduertens, te potiſsimum delegit, cuius tutelæ ipſam commendaret, dicens.

I decus, i noſtrum, melioribus vtere fatis.

Ideſt amplioribus,& planè diuinis auſpicijs, & eam ſortem accipe, ad quam te Deus Optimus Maximus vocat. Scias enim Reverendiſſime Antiſtes huic Ciuitati, & eius ampliſsimo Senatui nihil vnquã prius, nihil antiquius vera pietate, veraque religione fuiſſe. Credo autem pergratum tibi futurum ſi de hac Ciuitate pauca quędam dixero:cum enim tua ſponſa ſit,non ſine honore tuo decoratur,& eius laudes neceſſe eſt, vt tibi ſint iucũdæ, & optatę:& ego etiam,qui plurimum his prudentiſsimis, & religioſiſsimis patribus ob multa in me collata beneficia debeo, & eos vnicè amo,quęcunque mihi occaſio laudis,& gloriæ illorum celebrandę datur,eam libenter arripio, quod & nunc opportunè faciam,& pauca quædam,quoniam omnia longum eſſet,attingam. Quanta igitur ſit,ſemperque fuerit optimatum,qui huius Ciuitatis adminiſtrationi præſunt, prudentia, quàm perfecta huius reip.ratio;quàm rectè morata,& conſtituta hæc Ciuitas ex eo percipi poteſt,quòd eadem temperatione, iiſdem legibus ſine vlla ſeditione,ſine vllo inteſtino malo annos amplius mille vno eodemque ſtatu,& tanquam habitu, id quod nullis gentibus, vt totius vetuſtatis memoriam quàm longiſsimè repetamus, vſu venit, manet:& à paruis initijs profecta non viribus, ſed ratione,iuſtitiaque nixa ſine vlla violentia, aut iniuſtitia ad hanc opulentiam,atq; ad hoc imperium, quod videmus peruenit, & libertatem ſuam puram,atque incorruptam retinuit,ęquabilitatemq; ſeruauit. Quod etſi prudentiæ eorum, iuſtitiæ, æquitati adſcribi poſsit,tamen Deo in primis, ſine cuius præſidio nullum imperium manet, quem hęc Ciuitas ſemper ſanctiſsime coluit, acceptum referendum eſt:atque hanc eius virtutem præ cæteris ſtatuendam;atque hanc laudem cæteris omnibus præſtantiorem eſſe duco.namque illa omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent,hæc Ciuitas ſumma diligentia omni tempore comparauit,tractauit,& ſeruauit, in aduerſis rebus ſemper ad Deum confugere; in ſecundis ei gratias agere, omnia bona ipſi vni accepta referre, & omnem ſpem ſalutis in eo collocare conſueuit. Deiparam Virginem, cuius hoc templum eſt, ſummopere precari, venerarique ſolita eſt, eique omnes dicatos dies ſumma voluntate, & publico decreto celebrare, atque in ſummo honore habere,& illius opem,& auxilium frequenter implorare: necnon etiam omnibus Diuis, & ijs maximè, qui huic vrbi, & eius templis præſident, quique omnium mentes eorum,qui ad temp. adeant, maximè perſpiciunt,ſemper conata eſt ſatisfacere,vt ei in aula cœleſti bonorum adiutores,& periculorum deprecatores eſſent. Veri porrò cultus, & Eccleſiæ ceremoniarum tam amans ſemper,retinẽs, & ſtudioſa fuit hæc Ciuitas, vt nulla vnquam alia diligentior fuerit in earum religionum, quæ ſibi per manus à maioribus traditæ ſunt tutela, nulla

maiorem honorem ſacroſanctæ, & orthodoxę Romanæ Eccleſię vn quam habuerit, nulla ſe magis obedientem ſummo Pontifici præbuerit, & vt religio apud ſe omni tempore ſuo loco conſiſteret,& ne qua labes in ea hæreret, & quę illius nitorem aliqua ex parte contaminare poſſent,aut pietatis fundamēta ſubducere,ea oīa reijcerent, perfectū eſt huius ſanctiſsimi Senat' opera,& diligētia, qui cauit, vt qui ab ijs abhorrerēt,& hęreſis noīe ſuſpecti eſsēt nō ſolū domiciliū ſed ne hoſpitiū quidē in hac vrbe haberēt, & ne cōmorādi, quidem nedum habitandi diuerſorium nanciſcerentur. Atque hanc eius pietatem declarat templorum multitudo,& amplitudo & in vrbe,& in vniuerſo imperio tum antiquitus,tum noſtra memoria extructorū: Indicant ſacrarum Virginum collegia diuino cultui dicata, in quibus caſtiſsimę,atque innocentiſsimæ virginis diurnis,nocturniſque laudibus Deum celebrant, & pro huius Ciuitatis ſalute, & pro totius Eccleſiæ ſtatu exorant, & placatum efficiunt; vtque hoc diuinū planè munus continenter colere poſsint, neve tam ſanctum, tam ſolenne, tam neceſſarium officium vnquam intermittere cogantur, ſanctiſsimus hic Senatus earum rationibus ita conſulit, vt ſemper ipſis ſuppeditent ea,quę ad ſalubrem,& moderatum cultum, victūque pertinent: oſtendunt idem plures ſacræ virorum ſocietates in honorem Diuorum Benedicti, Dominici, Franciſci inſtitutę,& conſecratę & omnibus rebus neceſſarijs copioſè ornatæ, in quibus multi ſacerdotes dies,ac noctes corpore & animo excubant, vt ſacrum Chriſti euangelium interpretentur,vt hymnis,& laudibus Deum venerentur,vt eum ſacrificijs ſolennibus propitium reddant: quibus omnibus hi religioſiſsimi patres & ſenatores omnia honeſta concedunt,largiuntur,tribuunt:cum enim ſciant ornamentum religionis firmamentum reip. Chriſtianę ſacerdotum ordine contineri,eorūque omnes rationes non hominum tantum præſidio munitas,ſed diuino etiam iure vallatas,nihil vnquam,quod ad eos ornandos attineret,prætermiſerunt. itaque ſacerdotibus, & ſacra colentibus hominibus nuſquam maiores fructus,aut commoda,quàm in hac Ciuitate,& eius ditione fuerunt. Indicat verò præcipue ſanctarum reliquiarum copia, quæ pie,religioſèque in hac Ciuitate cuſtodiuntur & coluntur, vt hoc mihi verè affirmare poſſe videar nullam eſſe in vniuerſo terrarum orbe Chriſtianorum vrbem,ſi vnam Romam excipias,in qua aut maior reliquiarum copia ſit,aut eæ diligentius, & ſanctius aſſeruentur,aut in capſulis,& receptaculis maiori artificio, & ex pretioſiori materia fabrefactis retineantur. Verum horum patrum pietas, & publici omnium Chriſtianorum boni ſtudium cum antea varijs temporibus facile ab omnibus perſpici potuit,tū proximi belli tempore Turcis claſſes ſuas ad hæc litora appellentibus ...

enim optimi patres viderent eorum triremes eſſe Chriſtianorum hominum omniũ generũ & ætatum plenas, qui tum in Ionio, & Aegeo mari, tum in Adriatico ſinu ex Inſulis Venetorum imperio ſubiectis abrepti eſſent, cognoſcerentque quid damni Chriſtiana reſp. factura eſſet, ſi tot homines in ſeruitutem adducerentur: pueri præſertim, qui omnes ad Machomethanos ritus traducti, & Chriſtiani nominis hoſtes facti Sathanæ inſeruientes ſe totos ei mancipaſſent, & ſempiternis tenebris deinceps, & cruciatibus, & omnium ſuppliciorum acerbitatibus animum, & corpus mandaſſent, vt tanto malo remedium aliquod adhiberent, aut alleuamentum ſaltem inuenirent, non viris ſolum multis adiumento fuerunt, vt vel fuga, vel precio ſaluti conſulerent, ſeque à ſeruitute vindicarent, ſed certos etiã homines allegarunt, qui naues eorum conſcenderent, ac diligentiſſimè omnia circumſpicientes pueros, puellaſque, ea enim ætas multis de cauſis periculo propior erat, ſe ligerent, quos omnes deinde ſua pecunia redemerunt, & inter ſe diſtribuentes domi cum ſuis filijs alendos, educandoſque curarunt, & deinceps eos, qui à parentibus, aut à propinquis repetiti ſunt, reddiderunt, & multi adhuc remanent, qui hic religione erudiuntur, & optimis moribus imbuuntur. Quæ res tantam admirationem multis excitauit, vt Veneti ipſi, qui tunc mercaturis rem quærentes hic degebant, affirmarent nullo pacto potuiſſe maiora in miſeros illos captiuos pietatis exempla edi, ſi naues illæ ad ipſorum Venetorum, ad quos præcipue illa cura pertinebat, vrbes perueniſſent. Sed incredibile eſt quantũ boni quotidie ex hac illorum pietate in omnes proficiſcatur, & in dies latius manet, quidque vtilitatis Chriſtiana reſp. ex ea capiat: cum enim in finitimis locis hæretici, & ſciſmatici habitent, innumerabilibus hominibus in vmbra mortis habitantibus lux vitæ hinc oritur: continenter enim ex illis locis tanquam è turbulento, & formidoloſo aliquo mari multi in hanc vrbem quaſi in tranquilliſsimum, & tutiſsimum portum ſe referentes, & ab his religioſiſsimis patribus benignè excepti, & non pauci etiam ſtipendio affecti Eccleſiæ reconciliati in vera, & Catholica fide inſtituuntur, & verum Dei cultum amplexi in veram viam ſalutis reuertuntur, & quam debent obedientiam Eccleſię Romanæ præſtant, eiuſque honorem aliquo pacto augent. Quæ quidem omnia magna incommoda, ingentes ſolicitudines, & maximos ſumptus huic Ciuitati afferunt: barbarę namque gentes & à pietate erga Deum alieniſsimę, quibus hęc Ciuitas penè circunſepta eſt, omnes fraudes, ac dolos adhibent, minas iactant, pericula intendunt, formidines opponunt, quibus aut hos religioſiſsimos patres ab huiuſmodi operibus deterreant, aut per calumniam, maliciamque in odium Imperatoris ſui retrahant. Veruntamen ipſi diui-

no auxilio freti, eorum terrores, ac minas non magni æſtimantes in eiuſmodi pijs actionibus à maioribus ſibi per manus traditis conſtantiſsimè perſeuerant, & acerrimas impiorum hominum auaritię miniſtras calumnias pretio coercent, ac nulli periculo, neque labori, neque ſumptui parcunt, vt bonorum Chriſtianorum officio fungantur, vt Catholicæ fidei palmam ferant, vt bonis omnibus emolumento ſint. Itaque hoc ſine vlla dubitatione confirmarim hos ampliſsimos patres veræ religionis, & pietatis cõſeruandæ, quàm libertatis, ac dignitatis retinendæ multò cupidiores fuiſſe. Quare pium eſt credere hanc Ciuitatem prę cęteris à Deo amari, charamque haberi, atque ab ipſo ſeruari, & in perpetuum ſeruatum iri: tritum eſt enim illud Camilli omnia proſperè euenire ſequentibus Deũ. Quod quidem verum eſſe vel ex eo perſpicitur, quòd hęc Ciuitas concordiam, pacemque, cuius ſemper ſtudioſiſsima fuit, Deo iuuante perpetuò conſecuta eſt. Atqui hæc mens, & hoc conſilium verè ad Chriſtianos ſenatores pertinet: hoc enim eſt illud bonũ, quod Chriſtus, verus pacis auctor, dum viueret amicis ſuis donauit: hoc eſt patrimonium, quod ab hominibus recedens hæredibus ſuis reliquit, dicens. Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Hæc ferè ſemper in hac Ciuitate conſtitit, ac neque à domeſticis hoſtibus, neque ab exteris violata eſt, & quamuis ſæpius ex finitimis regionibus ita eiecta fuerit, vt omnia bello arderent, hæc vna tamen Ciuitas pacem ſemper tenuit, nec vnquam communi arſit incendio: imò dum vicinæ nationes ſe inuicem inuaderent, & mutua, lachrymoſaque gererentur bella, quaſi cum vnis Rhacuſinis inducię eſſent, inter armatos inermes, inter pugnantes quaſi fœderati verſabantur. Hæc enim Ciuitas ſuo contenta cum omnibus gentibus & populis amicitiam, fœdus, & pacem ſeruans neminem vnquam laceſſiuit, & ſi quis ipſi iniuriam inferre conatus eſt, imitata eſt ſanctiſsimum illum Dauidem, qui aduerſus immaniſsimum, & robuſtiſsimum hoſtem armis vndiq; tectum pugnaturus dixit. Venio ad te armatus Deo. ſic Rhacuſini præſidio diuino confiſi laceſſentibus bello, ac tentantibus audacter obuiam facti ſunt, eorumque impetum fortiter repulerunt, ac retardarunt, inuidorumque nefarios conatus compreſſerunt, & omne periculum à ſe propulſarunt. Illud quoque non eſt omittendũ quod publici, & communis commodi, & ſalutis ita ſtudioſi ſemper omnes Rhacuſini fuerunt, vt nulla vnquam in Ciuitate homines ita concordes, & conſentientes in ſalute, ac dignitate retinenda, & conſeruanda fuerũt; & quia hoc vnum ſibi ante oculos huius reip. gubernatores omni tempore propoſuerunt, vt nulla in re à recta conſcientia diſcederent, & diligentiſsimè officiorum omnium momẽta perpendentes ad veritatem, & honeſtatem omnes ſuas cogitationes re-

ſer-

ferrent, & commodum ſuum ſine vllius incommodo compararent, Deus conſilia illorum fortunauit, vitam eorum ad optimam rationem, ac normam direxit, pericula defendit, & rerum ab ipſis inſtitutarum exitum expediuit. Itaque verę poſſunt eiuſdem prophetę pſalmum canere. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea; quem timebo? Dominus protector vitæ meę; à quo trepidabo? Quanta verò pietas in eorum etiam patribus & maioribus fuerit, hinc facile intelligi poteſt, quòd cum incredibilem dolorem perciperent, dum ſæuiſſimi Chriſtiani nominis hoſtes Græciam, Macedoniam, Epirū, Thraciam, Illyricum, Pannoniam, aliaſque conterminas prouincias igni, ferroque vaſtarent, neque tantis malis remedium vllum afferre poſſent, nulli ſumptui, nulli periculo, nulli labori pepercerunt, vt ſanctorum virorum, & martyrum ſancta corpora, & ſacras membrorum reliquias, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & templa ſpiritus ſancti, quæ in diuerſis locis illarum regionum aſſeruabantur, cogerent, & è manibus immaniſsimorum hoſtium eriperent, & in hanc ſuam vrbem quaſi in religionis templum, pietatis domicilium, probitatis portum, & bonorum omnium munitiſsimam arcem adducerent, vbi nunc piè, religioſeque aſſeruantur, & coluntur. Itaque ſi Aeneæ pietas (liceat nobis aliquando Ethnicorum exemplis vti) tantopere ab antiquis illis tum Græcis, tū Latinis ſcriptoribus celebrata eſt, quòd cum Græci capto Ilio illi permitterent, vt vnum aliquod ex ſuis bonis aſportaret, ipſe cæteris poſthabitis neſcio quos Deos Penates potiſsimum ſuſtulit, quos ſecum in Italiam, quò curſum dirigebat, exportaret, eamque ob cauſam aſſerunt ei deinceps omnia bene, feliciterque eueniſſe: quanto æquius eſt, vt horum maioribus æternum pietatis præconium tribuatur, qui non ex vna vrbe, ſed ex pluribus prouincijs, non vno tempore & bello, ſed multis, & varijs, non cum Græcis, ſed cum omnium & natura, & moribus maximè barbara, & crudelitate immaniſsima, & Chriſtiani nominis inimiciſsima gente diſceptantes, non conceſsione hoſtium, ſed iis vel prece, vel gratia, vel immenſo precio; in primis verò prudentia, & conſilio, aut aliqua huiuſmodi ratione in ſuam ſententiam adductis, & aliquando etiam honeſtiſsimè deceptis magno cum periculo multa martyrum corpora eripuerunt, & in hac vrbe patria ſua collocarunt? Sed quid quod ipſimet Diui ſua voluntate, ac nutu in hanc vrbem aliquando conceſſerunt? quòd cognoſcebant in ea veram religionem, verumque Dei cultum maximè coli. Petrus enim, Laurentius, & Andreas viri ſanctiſsimi, & religionis noſtræ martyres præſtantiſsimi, qui Chriſti nomine recitando non longè ab Aſcriuio ab impijs hominibus crudeliſsimè interfecti ſunt, curarunt vt optimæ aniculę ſpiritu ſancto afflatæ admonitu ſanctiſsimus hic ſenatus ſua corpora in hāc

vrbem

vrbem adduceret, vbi adhuc tanquam preciosiſsimus theſaurus in templo ſibi dicato aſſeruantur, & ſuæ ſanctitatis iudicia non pauca dederunt, & multis factis oſtentis, &, vt ita loquar, miraculis claruerunt. Amoris autem diuini erga hanc Ciuitatem, poſſem, ſi opus eſſet, plura argumenta certiſsima, vel experimenta potius afferre, veruntamen vno contentus ero, quod nos omnes, & multi alij audiuimus, cognouimus, vidimus, inſpeximus, interfuimus, & cuius, vt ille inquit, pars magna fuimus. Cum enim duobus ante annis peſtilentia non ſolum finitimas nobis regiones, ſed vrbem etiam inuaſiſſet, hi religioſiſsimi patres ad Deum, qui nunquam pias preces reijcit, confugientes, templum Diuæ Annunciatæ vouerunt, ſtatimq; Deus Optimus Maximus, quod penè manu attingi potuit, vniuerſam Ciuitatem omni morbo liberauit, & ſanctiſsimus hic ſenatus, vt ſe religione exolueret, Deiparæ Virgini ornatiſsimum templum, quod tu, Reuerendiſsime Antiſtes, vrbem ingreſſus propè portam ad læuam vidiſti, ædificauit, & pulcherrimis ſignis, & egregijs picturis exornauit, & rebus omnibus inſtruxit. Nemini igitur debet dubium eſſe, hanc Ciuitatem, eiuſque imperium diuino beneficio, & munere natum, partum, auctum, retentum, ſeruatumque eſſe, nam vera religio, & verus Dei cultus nuſquam ſanè maior, aut illuſtrior in vniuerſa Europa, quàm in hac Ciuitate ſemper fuit. Et nunc etiam cum multæ nationes, & vrbes ſint, quæ numero hominum, & viribus, quæ diuitijs, quæ imperio, quę terreſtri, ac nauali apparatu hanc ſuperent: pietate tamen, fidelitate, iuſtitia, religione nulla ei pręponi, & paucę comparari poſſunt. Quare Deus ipſam ſemper amauit, & ob conſtantiſsimam eius in religione tuenda voluntatem liberam, florentemque tot iam ſęcula eſſe voluit, quod nulli alij Illyricę Ciuitati perpetuo contigit. Sed quàm magnum argumentum diuinę beneuolentiæ in hanc Ciuitatem fuit, quòd tu ei paſtor, & Archiepiſcopus, quo nullum pręſtantiorem, nullum optatiorem, nullum ſuis rationibus accommodatiorem inuenire vnquàm potuiſſet, obtigiſti, cuius tot, tantæque ſunt virtutes, vt ſi eas omnes recenſere velim, dies me deficiat. Quid dicam de pulcherrima tua, & maxime liberali faciei, oriſque atque oculorum ſpecie? quibus ineſt grauitas quædam, & magiſtra pudoris, ac modeſtiæ ſeueritas cum humanitate, & comitate iuncta, vt qui te aſpiciunt colere & amare cogantur; ac demum de totius corporis pulchritudine, quę quanto maiora ei bona adiungũtur, tanto maiori honore, venerationeque digna eſt. Quid dicam de orationis maieſtate? quæ tanta in te eſt, vt eos, qui te loquentem audiunt, in magnam admirationem traducas, ijſque planum ſecias te non ſolum conſilijs tuis, ſed etiam facundia, & ſermonis grauitate dignitatem huius muneris poſſe ſuſtinere. Quare florentiſsima Portico-

dicorum familia, ex qua innumeri in multis artibus principes exie-runt, quæque ſuis virtutibus, & populi beneuolentia ad culmen ciuilis dignitatis euecta, quamuis multis nominibus celebretur, maximè tamen iure optimo gloriatur, quòd te tulerit, cuius animi, atque ingenij lumen ita ſe ſe oſtenderit, vt nullus honor tantus ſit, qui in te collatus non ei, qui contulerit, magnam iudicij, & probitatis laudẽ attulerit. Itaque Luca quoque patria tua nobiliſsima non tantum ſe iactat, quòd bonis omnibus artibus, atque omni genere virtutis ſemper floruerit, quòd opibus abundarit, quòd viris pietate, doctrina, humanitate, ingenio, virtute inſignibus claruerit, quod ſuis ſemper legibus vixerit, quòd libertatem cum dignitate Ciuitatis, vt nihil ad felicitatem eius adiungi poſſe videatur, copulauerit, quàm quòd te procreando, alendo, & inſtituendo lumen in totum orbem effuderit, quòd ipſam Italiam ſuis dotibus per ſe ſatis nobilem, & vniuerſam Eccleſiam magis magiſque illuſtret. Quapropter ipſa illa prouincia noſtra, & parens Etruria multis nominibus ita clara, & nobilis, vt nulli meritò cedere debeat: maximè tamen hoc tempore gaudet, & maximo ſibi ornamento ducit, quòd tu ab ea procreatus, ſuiſque opibus fultus, propria virtute nitens ad ampliſsimos honorum gradus aſcenderis. Meritò igitur te omnes amant, obſeruant, colunt, venerantur; meritò animi omnium ob eam, quæ tibi facta eſt, honoris acceſsionem maxima lætitia effuſi ſunt: cum enim cognoſcant hanc Pontificiam dignitatem tanto illuſtriorem, ac præſtãtiorem eſſe ceteris omnibus, quanto videmus ſolem eſſe Luna, ſtelliſque clariorem, ac ſplendidiorem, & tantam eſſe illius maieſtatem vt Dei ferè poteſtas aut ad eam tranſlata, aut certè cum ipſa communicata eſſe videatur: eique Chriſtianæ reip. dignitatem, omnium bonorum ſalutem, vitam, libertatem, aras, templa, bona, fortunas, domicilia Pontificum ſapientiæ, ac poteſtati commiſſa, & credita eſſe, maximè lętantur ad hoc diuinum planè munus obeundum te potiſsimum delectum eſſe. Sed nos in primis lætamur, cum videamus te nobis eſſe datum, qui beneuolentia, diligentia, pręſidio, cuſtodiaque omnes tegeres, qui debilitata firmares, collapſa reſtitueres, vitioſa ſanares, ſolida conſeruares: qui timentes exciperes, confirmares diffidentes, ſubleuares iacentes, erigeres afflictos, recreares perditos, defendere laborantes, corrigeres errantes, doceres imperitos, comprimeres improbos, excitares bonos, ęgris medereris, ſupplicibus opem ferres, ac ſalutem dares, & omnes pro virili parte periculis liberares. Cuius tanti boni Gregori Pontifex Maxime, ac ſanctiſsime, & ſumma quaque virtute, ac dignitate ornatiſsime (ſanctitatem enim tuam quamuis abſentem, & magno locorum interuallo à nobis diiunctam appellabo) te ſecundum Deum, cui precipue

omne

omne bonum acceptum eſt referendum, auctorē hęc Ciuitas agnoſcit, qui tantum, & tam pręclarum munus ei miſeris, & diligentiſſimo patre, ac paſtore ipſam ornaueris, & nos te laudantes & tibi, qui Chriſti perſonam geris, & tanquam diuini Regis Vicarius, ac Legatus diuinam eius faciem tecum affers, & rerum humanarum procurationem cum eo propemodum communem habes, gratias agentes, videmur eum aliquo pacto laudare, & ei gratias agere. Tu enim non ſolum ſuſceptum reip. munus ſuſtines, & exequeris, ſed dignitatem etiam tibi à Deo tributam ad vtilitatem & commodum Chriſtianorum gerendo, planum omnibus facis te veniſſe non ad præcidendam, ſed inſtaurandam, non delendam, ſed renouandam, non extirpandam, ſed inſtituendam, conſeruandam, & amplificandam Domini vineam, & inter alia multa opera, quibus omnes homines tibi deuincis, magnum beneficium nunc in hanc gentem contuliſti, & omnem hanc terram lumine, ſplendoreque magno ornaſti, qui tantum præſulem ei miſeris. Quare tantum tibi vniuerſa hęc religioſisſima & gratisſima Ciuitas debet, vt omnibus ei rebus ab iſta ſanctisſima ſede non conſeruatæ ſolum, ſed etiam ornatę, tamen ad innumerabilia in ſe merita maximus hoc tuo facto cumulus acceſſerit. Cum autem alia ratione partem vllam tanti muneris compenſare nequeat, hoc quod in ſe poſitum eſt, facit, & grato quidem animo, libentique facit, vt cuncta tibi commoda optet, ac Deum optimum Maximum roget, vt tibi de totius Chriſtiani populi ſalute ſolicito, ac de communi omnium incolumitate cogitanti adſit, & in omnibus tuis conſilijs, factiſq; & totius Petri Nauiculæ, in qua vna bonorum omnium ſalus poſita eſt, quamq; tu rectam proſpero curſu tenes, gubernatione ventos ſecundos perpetuo prębeat, & optimæ tuæ meriti, quos optas, exitus largiatur, votaq; facit, vt tu, cuius ſalute omnium ferè ſalus continetur, felix ſemper ſis, & de omnibus veri cultus, ac religionis hoſtibus tibi honeſtam, & glorioſam, nobis omnibus vtilem ac ſalutarem victoriam conſequaris, & quia iam in Chriſti, & tua verba iurarunt, & Chriſtianę militię ſacramento obligati ſunt, diligenter operam dabunt, ne qua in re fortis illorum opera deſiderari posſit, & pręſtantisſimo pietatis duci, quem ipſis præbuiſti, quiq; tuis auſpicijs militat, libenter parebunt, ad eius vexillum hilariter conuolabunt, ipſumq; alacriter ſequentur, & fortisſimè cum hoſtibus decertabunt, neq; vnquam in iuſſu eius ex ordine recedent. Cuius aduentus omnibus ſuauisſimus, optatisſimusq; fuit, quia eius virtute, & conſilij felicitate ſe ab omnibus periculis tutos fore confidunt. Quare & ſi Gręci illi veteres omnium ſcientiarum, & bo-

natum artium auctores, & inuentores maximis lætitijs exultabant, cum eorum Imperatores poſt itinera mari, vel terra facta, prælia commiſſa, oppugnationes illatas victis, ac profligatis hoſtibus, & trophæis conſtitutis victores domū cū incolumi exercitu, & ſpolijs hoſtilibus onuſto reuerterētur, eosq; gratulationibus, gaudijs, plauſibusq; maximis exciperent. Quamuis apud eoſdem Græcos tanto in honore eſſet quinquennalis illa celebritas Olympicorum ludorum, vt qui victoriam in iis ferrent, & coronam aſſequerentur, beatiſſimi, feliciſſimiq; ab omnibus exiſtimarentur, & cum domum redirent omnes homines vndiq; ſpectandi, & gratulandi cauſa exeuntes obuiam prodirent, & magna elati lætitia nobiles illos Olympionitas tantis laudibus ad aſtra tollerent, ita ſuſpicerent, ita admirarentur, vt eos quadrigis in mœnia, & in vrbes adducerent, & Deorum ferè honores ipſis tribuerent. Et ſi Romani appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atq; auidi laudis omnium gentium victores, & omnia ad gloriam, ſplendoremq; reuocare ſoliti palam lætitia exultabant, & gaudio perfundebantur, cum eorum Imperatores ſua prudentia, & militum virtute, ac pręſenti fortitudine hoſtium furore fracto, & ipſis ſuperatis equis inſignibus, & curru aurato, ac triumphali in patriam reportarentur, cum omnes ordines, omnes ętates incredibili concurſu, & mirifico ſtudio ad gratulandum acccurrerent, & vinctos ante currum hoſtium reges, aut duces, ſimulachra captorum oppidorum, argentum, & aurum ex hoſtibus partum, legatos, & tribunos in equis videntes, clamoremq; militum, & totam illam triumphi pompam audientes, & aſpicientes ſumma alacritate, & lætitia ad victoriam celebrandam excitarentur, ipſosq; Imperatores ſtatuis dignos, & magna frequentia, plauſuq; celebrandos putarent. Quamuis deniq; apud Hæbreos annus Iubilei, idest libertatis quinquageſimo quoq; anno magna omnium lętitia celebraretur, per id tempus agricultura deſereretur labores, & opera deponerentur, pecuniæ creditæ debitoribus condonarentur, & ſerui in libertatem vindicarentur. Licet etiam apud eoſdem Hebręos nonnullæ victorię Deo adiuuante ex hoſtibus partæ magno omnium hominum gaudio exceptæ ſint, vt cum poſt occiſum ab adoleſcente Dauide Goliathem Gigantem, & Paleſtinos à Saule profligatos mulieres, & virgines lætitia elatæ obuiam victori Regi, & exercitui cum cymbalis & tympanis exeuntes clamarent. Percusſit Saul mille, Dauid decem millia. Etſi etiam ſummo gaudio celebratum fuit tempus illud, cum Dauid iam Rex Iſrael conſtitutus deuictis non ſemel iiſdem Paleſtinis ſacram Dei arcam ex hoſtium manibus ereptam omnibus hominibus plaudentibus Hieroſo

lymam

lymam reduxit,cum vniuerſus populus hymnos canens,& Deo gratias agens eam comitaretur, & canticis, hymniis, vocibus, plauſibus, cymbalis, tubis immenſam animi hilaritatem, feſtiuitatemq; omnes oſtenderent: ipſe verò etiam Rex ſaltationibus operam daret, ſummisq; gaudijs ita exultaret, vt Reginę, quæ myſterium rei non intelligebat, riſum moueret. Tamen nullus vnquam dies neq; Gręcis, neq; Romanis, neq; Hebræis maiori iucunditati fuit, quàm eſt hoc tēpus oībus Rhacuſinis, nunq̃ apud Græcos neq; victor dux, neq; coronatus Olympionices: nunq̃ apud Romanos Imperator triumphans, nunquam apud Hebræos victores Reges maiori gaudio excepti ſunt, neq; maiori celebritate omnis generis hominum ętatum, ordinũ floruerunt quam tu hodie Reuerendisſimę ac dignisſimæ Præſul à Rhacuſinis exciperis, ac flores. Vniuerſa enim hęc Ciuitas te quaſi hominem è cœlo delapſum, ac demiſſum excipit, & quaſi lumen aliquod elucere ſanctitatem, & innocentiam tuam exiſtimans immenſam voluptatem ex tuo aſpectu, pręſentiaq; capit, & libenter admodum in ſinum, & complexum tuum venit, & vt quam diutisſimè ibi eſſe posſit exoptat. Itaq; Princeps, ſenatus & magiſtratus omnes te complectuntur, colunt, venerantur; omnes optimates, ciues ſummi, infimi tibi plaudunt; viri, mulieres, ſenes, iuuenes, adoleſcentes, pueri ad te videndum concurrunt, vt merito his poetæ verſibus te affari queam.

Teq; omnis tectis, agriſq; effuſa iuuentus.
Turbaq; miratur matrum, & proſpectat euntem.
Attonitis inhians animis.

Omnes diem hunc fauſtum, ac felicem ſibi putant, quo tantum pręſulem, ac paſtorem nacti ſunt, eaq; de cauſa omnibus lætitijs inceſſerunt, & perceptæ ex tuo aduentu voluptatis magnam ſignificationem dederunt: neq; eſt eorum quiſquam, quos vndiq; intuentes ex hoc ipſo loco cernimus, vnde aliqua pars templi, aut areę aſpici poteſt, & huius exitum celebritatis expectantes, qui non magnopere lætetur,& virtuti tuę faueat:ideoq; myrtos,lauroſq; felices nectunt, & pia thura altaribus incendunt, & canoras hymnorum voces tam alacres emittunt, vt Deus è cœlo exaudiat. Vnus eſt enim omnium ſenſus, omnes vna atq; eadem hilaritate, & alacritate perfuſi ſunt; ipſa tecta vrbis & mœnia, ipſi parietes geſtiunt; ipſe medius fidius ſol clarius lucere videtur, muta tellus tam excellenti bono ridet, & omnia vbiq; vigent, atq; nitent, & noua quadam, inauditaq; lętitia exultant; agri ipſi monteſq; honori tuo fauent, & tota deniq; aſpera, & montuoſa, & fautrix virtutum regio ſe tuo honore, pręſentia, conſpectuq; ornari, ſe augeri dignitate arbitratur, ſeq; iam diu ni-

hil vidiſſe, quod ei tantam attulerit lætitiam fatetur. Gratulor igi tur tibi, dignisſime Præſul, qui nunc & dignitatis tuæ ſplendorem obtinuiſti, & probitatis atq; omnis ante actæ vitę fructum vel maximum percepiſti, cui virtutis inſignia quę cæteri magnopere concupiſcunt, & omni conatu quęrunt, nihil de ipſis cogitanti, vtpote qui ſatis amplum virtutis fructum in ipſa benefactorum conſcientia ſtatuas, honorificentisſimè delata ſunt: datumq; eſt tam pię, religioſæq; Ciuitati præeſſe, tam amplum populum regere, tam claram, tam amabilem ſponſam habere; tam fortes, & alacriter imperio tuo obedientes milites ducere. Tibi etiam religioſisſima Ciuitas, & fortunatisſima, ſanctisſimaq; Eccleſia, etiam atq; etiam gratulor, quod tibi potisſimum eximium hoc bonum contigit, datumq; tibi eſt voluntate Dei, vt ſanctisſimus hic vir te regat, complectatur, foueat, colat, dirigat, & in ſalutem tuam continenter incumbat, qui quidem ea condicione, eoq; fato natus videtur, vt omnes vitæ ſuæ partes ad rem Chriſtianam iuuandam, ad religionem ornandam, & amplificandam, atq; ad bene de hominibus merendum, quo nihil pręſtantius, nihil laudabilius fieri poteſt, contuliſſe videatur. Suſcipe igitur hilaris dignisſime Pręſul, vt iam exitum inſtiturę orationis expediam, hanc prouinciam, & horum hominum curam, qui quidem omnes alacres te ſequentur vt Ducem, venerabuntur vt vt Principem, diligent vt paſtorem, colent vt Pręſulem, obſeruabunt vt patrem. De his autem religioſisſimis ſenatoribus hoc tibi meritò polliceri potes, eos quibuſcunque rebus eorum opera tibi opus fuerit, omnibus votis, honeſtisſimisque ſtudijs tuis fide, atque obſeruantia ſingulari pręſto futuros, diligentisſimèq; operam daturos, vt intelligas eorum mentes, atq; ſententias cum tua voluntate libenter conſentire, eoſq; nulla in re, quæ ad Chriſtianam pietatem pertineat, vlli vnquam eſſe ceſſuros. Epiſcopi verò eximia pietate, ſumma prudentia, multa doctrina, plurimo rerum vſu præditi viri ſtudium ſuum erga te, & officium omnibus rebus declarabunt, & tuam ſibi exiſtimationem, amplitudinem, ac dignitatem carisſimam eſſe oſtendent. Quod autem ad Canonicorum collegium, & cæterorum ſacerdotum cœtum pertinet, certò ſcias fore, vt ad voluntatem, nutumq; tuum ſponte ſemper parati ſint: & ad tuum arbitrium ſe totos conferant, & accomodent, neq; rem vllam prætermittant, quam tibi curæ eſſe intelligant. Nos autem & reliquus vniuerſus populus, apud quos tu ferè vim, & numen Dei tenes, ſanctiones omnes tuas fixas, & in perpetuum ratas habebimus, & nutui, conſilio voluntatiq; tuæ ſemper obtemperabimus; Deumq; optimum Maximum, qui Regum, Pontificum, & bonorum

rum ſacerdotum ſator, ſtator, cuſtos, conſiliarius, ductor deniq; eſt: qui hanc Ciuitatem, & vniuerſam eius ditionem tuetur, qui ſemper adiutor tuorum conſiliorum, & laborum extitit, precabimur, & obſecrabimus, vt tibi & huic ſanctiſsimo ſenatui benignus adſit, & vobis tribuat, concedatq; primum, vt veſtri ſenſus omnibus in rebus inter ſe congruant, & conſilia veſtra pacis, & quietis ſocia ſecundos exitus habeant, & ea opera efficiatis, quæ Maieſtati ſuæ grata, & accepta ſint, & huic Eccleſiæ, & vobiſmetipſis ſalutaria: perficiatq; vt hęc res tibi, Eccleſiæ, Principi, optimatibus ciuibusq; Rhacuſinis, & omnibus in eorum ditione commorantibus bene atq; feliciter eueniat: deinde vt quam tranquillitatem, pacem, concordiam, libertatem, felicitatem hi patres, & eorum maiores ſua prudentia, pietate, ſapientia, alijsq; heroicis virtutibus parauerunt & conſeruauerunt, eam opera, & conſilio veſtro tutatam, amplificatam, & in perpetuum propagatam velit: vt omnibus gentibus, poſteritatiq; ipſi perſpicuum ſit te diuino numine huic Ciuitati Pręſulem, & Eccleſiæ Pręſidem, & hominibus religionum colendarum auctorem, ac magiſtrum eſſe tributum, & meritò ſalutem omnium, omnes religiones ſapientiæ fidei, bonitati, poteſtatiq; tuæ commiſſas, & creditas eſſe: & te in ſalutem noſtram omni cogitatione, curaq; incumbente, & his patribus tua conſilia adiuuantibus, & cæteris omnibus omnia ſtudia, officiaq; tibi præſtantibus feliciſsimè Deo præſente, & hominibus plaudentibus viuamus, & Vincentio Duce, qui ipſo nomine nobis victoriam pollicetur, ſenſum, Mundum, Diabolum acerrimos, & improbiſsimos ſalutis noſtræ hoſtes vincamus, & eorum blanditias, inſidias, fallacias, incurſus, vim ac violentiam vitantes, ac repellentes veram victoriam, ſalutaremq; palmam feramus, & poſt diſceſſum animi à corpore beatorum locum, & ſedem aſſecuti gloriæ corona donemur, & inter Angelorum cœtus in Dei optimi Maximi conſpectu perpetuo gaudio triumphemus. Dixi.

Z
1158. 15